OFFICIA PROPRIA FESTORUM ORDINIS SERVORUM B. MARIAE...

Servi di Maria

Digitized by Google

15.5.128

15.B.5

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA

FESTORUM

ORDINIS SERVORUM B. MARIÆ VIRGINIS

Ex conceſſione

S. SEDIS APOSTOLICÆ

A FRATRIBUS, ET SORORIBUS

EJUSDEM ORDINIS

Recitanda.

ROMÆ,

Apud FRANCISCUM GONZAGAM MDCCX.

Superiorum Licentia.

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

D. de Zaulis Archiepiſcopus Theodoſiæ Vicesgerens.

IMPRIMATUR,

Fr. Paulinus Bern[illegible] [illegible]usi Ordin[illegible] [illegible]orum, Sacri Apoſtolic[illegible] [illegible]alatii Magiſt[illegible]

FR. JO: PETRUS BERTAZZOLI

Sac. Theologiæ humilis Profeſſor, ac totius Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis Prior Generalis.

Univerſis in Chriſto plurimùm dilectis Patribus, Fratribus, Monialibus Ordinis Salutem.

VIneam Domini Sabaoth, quæ ſacri Amoris dulcedine, quaſi uvarum decorata coloribus, ac perſeverantiæ palmitibus propagata, Vinea Pacifici in [a] Canticorum Canticis ſcribitur; traditam eſſe Cuſtodibus, qui & [b] *mille ferant argenteos*, & *ejus fructus cuſtodiunt*, Divini Spiritus adorata monimenta conſignant. Sed quid argentei nomine præſignatum unquam ſentimus? Qui ſunt altiſſimo Oraculo denunciati fructuum Cuſtodes? Bellè Magnus Gregorius *Per argenteos in hoc loco*, ait, [c] *omnem terrenam ſubſtantiam intelligimus*. Mille argenteos affert *quisquis perfectè omnia terrena dimittit, ut Chriſtum veraciter habeat .... Qui ſunt autem, qui fructus vineæ cuſtodiunt, niſi illi, qui in ſancto opere, quod incœperunt, perſeverantes exiſtunt*. Præclaram ſanè fortunam dimittentium omnia, quæ poſſident, & perſeverantium in ea vocatione, qua Superum Majeſtas vocavit! His traditur vinea Cuſtodibus, hi mille ferunt argenteos, hi fructus cuſtodiunt....

a 2 Nos,

a *cap.* 8. *verſu* 11.

b *Cantic.* 8. *v.* 11. *&* 12.

c *Expoſit. in Cantic. Cantic. ad cap.* 8. *in edit. PP. S. Maur. tom.* 3.

Digitized by Google

Nos, dilectiſſimi Filii, Filiæque in Jeſu chariſſimæ, Nos quoque ſeculi illecebris allapſu gratiæ deſpectis, terrenas univerſas opes, ceu mundi rudera, trivimus Nobis etiam ſacræ Profeſſionis;[a] *auxilio ſuperioris ævi labe deterſa in expiatum pectus, ac purum deſuper ſe lumen infudit*; Nos etiam Innocentio VIII.[b] è Romana Sion detonante *Cultores Vineæ Domini Sabaoth* edicimur. Illud nunc ſupereſt, ut in ſancto opere, quod Patres noſtri incœperunt, & noſmet fervidi occœpimus, perſeverantes jugiter ad fatum uſque pergamus.

Opus noſtrum eodem teſte Innocentio[c] *Divino eſt cultui intendere, ac piæ vitæ ſtudio vacare*; propterea *Vineæ Cultores* oraculo ejusdem ſignamur; propterea *Cultores idonei*, judicante eo, *reputamur, meſſem ex cultu hujusmodi afferentes gratiſſimam Creatori*. Sic Ordo noſter[d] *à ſuis primordiis plantatus, in agro Dominico laudum incrementis .... profecit... & inter alia plantaria Dominica*, Divinâ cooperante Clementiâ, *ſpecialiter inſignitus* emicuit.

Hæc diù meditantes ſæpiùs convertimus animum, quomodo cuſtodientibus vineam non areſcerent vites, aut palmites; quin potius vindemiâ occurrente in uvas uberes exundarent, & vina; & ecce præſtò ſe offert, quid illam poſſit excolere, ut creſcat[e] *in vineam latiorem*, &[f] *faciat frondes*, & *portet fructum*, & *ſit in vineam grandem*. Divinus cultus hic eſt, cui promovendo feliciter, ſtrenuè

Patres

---

a *Ex D. Cypr. epiſt. 1. in edit. Pamel.* b *in Bul. quæ dic. Mare Magnum Servorum.* c *Ubi modò.* d *Idem Innoc. ubi ſup.* e *Ezechiel. 17. v. 6.* f *Ezech. 17. verſ. 8.*

Digitized by Google

Patres noſtri inſudarunt, cui proſequendo perenniter, devotionem noſtram litavimus. Deſiturus hic erat in dies circa Officia Ordinis noſtri; Codices jam deperibant, quibus ſarta tecta præfata Officia produntur. Ubi conſtans cœptis permanſio, ſi perirent penitus tabulæ, quibus manuducti duramus?

Eja itaque, dilectiſſimi Filii, libellos, quibus Officia noſtra à Sancta Apoſtolica Sede impetrata aſſervantur. Sub prælo iterum cudi voluimus, nè Divini cultus materies temporibus noſtris deficiat, utque illi vineam excolant, qui mille ferunt argenteos, & ejus fructus cuſtodiunt. Accedit ad hæc, quod cum Sancta Apoſtolica Sedes poſt editum priſcum libellum alia conceſſerit recitari à nobis Officia, quæ vel minori ritu, vel nullo in Romano Breviario inviſuntur, noſtri juris erat excudere ſingula integriùs, eaque vobis præbere, ne erraretur in vineæ cultura.

Interim cuſtodite vos fructus, perſeverate ſcilicet cœptis, & reſpicientes, ut inquit Eugenius, [a] *ad veteres Patres, qui noſtrum Sacrum Ordinem ſtatuerunt, conſiderate qualiter, aliis circa frequens miniſterium ſatagentibus, ipſi ad pedes Jeſu cum Maria ſederunt*. Sic etiam vos, ut ſperamus, ad beatos pedes ſedebitis, & tractantibus vobis in Pſalmis Davidicis *litteras*, ut ait præclarè Auguſtinus [b], *de melle Cœli melleas, & de lumine Dei luminoſas*, diteſcet opibus vinea, germinabit in fructibus.

Faxit

a *Ep. 334. inter epiſtolas Bernardi tom. 1. in edit. Merl. Horſt.*
b *Lib. 9. Confeſſ. cap. 4.*

Digitized by Google

Faxit Deus, ut hæc omnia ad vota noſtra conſpirent, ut tandem [a] *Paterfamilias, qui plantavit vineam* iſtam, lætetur, quod vinea floruit, dicatque [b] *Dominus vineæ Procuratori ſuo: Voca operarios, & redde illis mercedem*, nimirùm, ut inquit Chryſoſtomus: [c] *Aperi mea promptuaria, profer regales coronas, profer Divina bravia.... nullus mercede privetur, omnes ditentur, omnes exultent*: Quod tandem amantiſſimus Dominus & vobis, & nobis concedat: fiat, fiat. Romæ 18. Martii 1710.

Le-

a *Matth.*21. *v.*33. b *Matth.*20. *v.*8.
c *Orat. Catechetic. in cap.* 20. *Matth. ex verſ. Front. Ducæi, & emend. Combefis.*

Digitized by Google

Lectiones ponendæ, vel primo loco pronunciandæ in Martyrologio Romano poſt Kalendas.

Decimo Kal. Febr.	23. *Januarii.* Feſtum Deſponſationis Beatæ Mariæ Virginis cum S. Joſeph.
Quinto idus Febr.	9. *Februarii.* Octava Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.
Kalendis Aprilis.	1. *Aprilis.* Octava Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis. *Prædicta Lectio pronunciatur, ſi feſtum Annunciationis celebretur cum octaua; ſin autem omittitur.*
Sextodecimo Kal. Maji.	16. *Ejuſdem.* Senis in Tuſcia, B. Joachimi Confeſſoris Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis. *Prædicta Lectio extat in Martyrologio, ſed ponitur primo loco.*
Pridie Kal. Maji.	30. *Ejuſdem.* Forolivii, B. Peregrini Confeſſoris Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis, cujus natalis memoria prima die ſequentis menſis recolitur.
Tertiodecimo Kal. Julii.	19. *Junii.* Florentiæ, Beatæ Julianæ Falconeriæ Virginis Tertii Ordinis Servorum B. M. V.
Septimo Idus Julii.	9. *Julii.* Octava Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis.
Decimo Kal. Septemb.	23. *Auguſti.* Tuderti, S. P. N. Philippi Ordinis Propagatoris à Clemente X. Sanctorum numero adſcripti, in quo ſumma humilitas refulſit, ob quam etiam ſupremam Eccleſiæ Thiaram ſibi oblatam fugiens recuſavit.
Tertio Kal. Sept.	30. *Ejuſdem.* Octava S. P. N. Philippi Ordinis Propagatoris.

Pri-

Pridie Non. Septemb. 4. *Septembris.* Octava S. Auguſtini Epiſcopi, et Eccleſiæ Doctoris.

. . . . . Kal. Oct. *Dominica Tertia ejusdem.* Solemnitas Septem Dolorum Beatiſſimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ Ordinis noſtri Titularis, et Patronæ.

Decimo Kal. Octob. 22. *Ejusdem.* Translatio tertia S.P.N. Philippi, cujus oſſa ex S. Marci ad Eccleſiam S. Mariæ Gratiarum, nunc S. Philippi Benitii nuncupata, ſolemni pompa, & miraculorum gloria translata ſunt.

Quarto Kal. Decemb. 28. *Novembris.* Octava Præſentationis Beatæ Mariæ Virginis.

Lectiones pronunciandæ, ſi placet, quando fiunt Officia de infraſcriptis Commemorationibus.

Fer. VI. Paſſionis. Commemoratio ſolemnis Septem Dolorum Beatæ Mariæ Virginis.

Prædicta Lectio pronunciatur ſolùm, ubi ex indulto fit dictum Officium.

Feria V. Commemoratio Sacratiſſimi Corporis Chriſti.

Feria VI. Commemoratio Septem Dolorum Beatæ Mariæ Virginis.

Sabbato. Commemoratio de Beata Maria.

OFFI-

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA
ORDINIS SERVORUM
B. MARIÆ VIRGINIS.

FESTA JANUARII.
Die XXIII.
In Feſto
DESPONSATIONIS B. M.
VIRG. CUM S. JOSEPH
Dupl. majus.
Ad Veſperas.

Antiph. Deſponſatio glorioſæ *cum reliq. de Laudib. Pſalm.* Dixit Dominus *cum reliquis, ut in Officio parvo.* *Capit.* Ab initio, & ante ſecula creata ſum, & uſque ad futurum ſeculum non deſinam, & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtravi. ℞. Deo gratias.

Hymn. Ave maris ſtella, *& reliq. ut in Officio parvo.*

℣. Deſponſatio eſt hodie Sanctæ Mariæ Virginis.

℞. Cujus vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias.

Ad Magnif. Antiph.

Glorioſæ Virginis Mariæ Deſponſationem digniſſimam recolamus, quæ & Genitricis dignitatem obtinuit, & virginalem pudicitiam non amiſit.

Oratio.

FAmulis tuis, quæſumus Domine, cœleſtis gratiæ munus impertire, ut quibus Beatæ Virginis partus extitit ſalutis exordium, Deſponſationis ejus votiva ſolemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum noſtrum.

Deinde fit commem. SS. Vincentii, & Anaſtaſii Martyr.

Ant. Gaudent in Cœlis animæ Sanctorum, qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti; & quia pro ejus amore ſanguinem ſuum fuderunt, ideò cum Chriſto exultant ſine fine.

℣. Exultabũt Sancti in gloria.

℞. Lætabuntur in cubilibus ſuis. *Oratio.*

ADeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, ut qui ex iniquitate noſtra reos nos eſſe cognoſcimus, Beatorum Martyrum tuorum Vincentii, & Anaſtaſii interceſſione liberemur. Per Dominũ.

Poſtea S. Emerentianæ V. & M.

Ant. Veni Sponſa Chriſti, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternũ.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua.

℞. Intende, proſperè procede, & regna.

Digitized by Google

Oratio.

INdulgentiam nobis, quæſumus Domine, Beata Emerentiana virgo, & martyr imploret, quæ tibi grata ſemper extitit, & merito caſtitatis, & tuæ profeſſione virtutis. Per Dominum.

Ad Matutinum Invitatorium. Deſponſationem Virginis Mariæ celebremus, * Chriſtũ ejus filium adoremus Dñm.

Pſalmus Venite exult. *Hymnus, Antiphonæ, & Pſalmi Nocturnorum, ut in Officio Beatæ Mariæ in Sabb. infra.*

In Primo Nocturno

Lectio j.

Incip. Cantica Cantic, *Cap. I.*

OSculetur me oſculo oris ſui: quia meliora ſunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. Oleum effuſum nomen tuum: ideò adoleſcentulæ dilexerunt te. Trahe me: poſt te curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me Rex in cellaria ſua: exultabimus, & lætabimur in te, memores uberum tuorum ſuper vinũ; recti diligunt te. Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Jeruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.

℞. Hodie deſpõſata eſt Beata Virgo Maria ex progenie David:* Per quam ſalus mundi credentibus apparuit, cujus vita glorioſa lucem dedit ſeculo.

℣. Deſponſationem Beatæ Mariæ Virginis cum gaudio celebremus. Per quam.

Lectio ij.

NOlite me conſiderare, quod fuſca ſim, quia decoloravit me Sol: filii matris meæ pugnaverunt contra me, poſuerunt me cuſtodem in vineis: vineam meam non cuſtodivi. Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum. Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hædos tuos juxtà tabernacula paſtorum. Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilavi te amica mea. Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis: collum tuum ſicut monilia.

℞. Beatiſſimæ Virginis Mariæ Deſponſationem devotiſſimè celebremus: * Ut ipſa pro nobis intercedat ad Dominum Jeſum Chriſtum.

℣. Cum jucunditate Deſpõſationem Beatæ Mariæ Virginis devotiſſimè celebremus. Ut ipſa. *Lectio iij.*

MUrenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

Digitized by Google

tur. Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Lectulus noſter floridus: tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina.

℟. Glorioſæ Virginis Mariæ Deſponſationem digniſſimam recolamus: *Cujus Dominus humilitatem reſpexit, quæ Angelo nunciante concepit Salvatorem mundi.

℣. Beatiſſimæ Virginis Mariæ Deſponſationem devotiſſimè celebremus. Cujus. Gloria. Cujus.

In Secundo Nocturno.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Ex homil. 2. ſuper Miſſus eſt.

Lectio iv. *Cap. 2.*

OPortebat à principio mundi aliquandiù celari divini conſilii ſacramentum: non quod Deus, ſi palam opus ſuum facere vellet, impediri poſſe ab alio metueret: ſed quia ipſe, qui non ſolùm potenter, ſed etiam ſapienter quæcunque voluit, fecit, ſicut in omnibus operibus ſuis quaſdam rerum, vel temporum congruentias propter ordinis pulchritudinem ſervare conſuevit: ita in hoc quoque tam magnifico opere ſuo, noſtræ videlicet reparationis, non tantùm potentiam ſuam, ſed & prudentiam oſtendere voluit.

℟. Deſponſatio glorioſæ Virginis Mariæ ex ſemine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex ſtirpe David:* Cujus vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias.

℣. Hodie deſponſata eſt Beata Virgo Maria ex progenie David. Cujus.

Lectio v.

COnveniens ergo erat, ut ſuaviter quoque omnia, cœleſtia ſcilicet, & terrena diſponeret, quatenus & illinc dejiciens inquietum, reliquos in pace firmaret: & hìc debellaturus invidum, nobis prius ſuæ humilitatis, & manſuetudinis valdè neceſſarium exemplum relinqueret; ſicque mirabili fieret moderamine ſapientiæ, ut & ſuis ſuavis, & hoſtibus fortis appareret.

℟. Cum jucunditate Deſponſationem Beatæ Mariæ celebremus: * Ut ipſa pro nobis intercedat ad Dominum Jeſum Chriſtum.

℣. Corde, & animo Chriſto canamus gloriam in hac ſacra ſolemnitate præcelſæ genitricis Dei Mariæ. Ut ipſa.

Lectio vj.

QUid enim prodeſſet diabolum à Deo vinci, nobis manentibus ſu-

Digitized by Google

perbis? Neceſſariò igitur deſponſata eſt Maria Joſeph, quando per hoc, & à canibus ſanctum abſconditur, & à Sponſo virginitas comprobatur, & Virginis tam verecundiæ parcitur, quàm famæ providetur. Quid ſapientiùs? Quid digniùs divina providentia? Uno tali conſilio ſecretis cœleſtibus, & admittitur teſtis, & excluditur hoſtis, & integra ſervatur fama Virginis Matris.

℟. Deſponſatio tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annunciavit univerſo mundo: * Ex te enim ortus eſt Sol juſtitiæ, Chriſtus Deus noſter: * Qui ſolvens maledictionem dedit benedictionem: & confundens mortem donavit nobis vitam ſempiternam.

℣. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Ex te. ℣. Gloria Patri. Qui ſolvens.

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Euangelii ſecundùm Matthæum. *Lectio vij. Cap. 1.*

CUm eſſet deſponſata Mater Jeſu Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto. Et reliq.

Homilía S. Hieronymi Presb. *Lib. 1. Comment. in cap. 1. Matt.*

QUarè non de ſimplici Virgine, ſed de deſpōſata concipitur? Primum, ut per generationem Joſeph origo Mariæ monſtraretur: ſecundò, ne lapidaretur à Judæis ut adultera: tertiò, ut in Ægyptum fugiens haberet ſolatium. Martyr Ignatius etiam quartam addidit cauſam, cur à deſponſata conceptus ſit: Ut partus, inquiens, ejus celaretur diabolo, dum eum putat non de virgine, ſed de uxore generatum.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.

℣. Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit.

Lectio viij.

ANtequam convenírent inventa eſt habens de Spiritu Sancto. Non ab alio inventa eſt, niſi à Joſeph, qui penè licentia maritali futuræ uxóris omnia noverat. Quod autem dicitur: Antequam convenírent; non ſequitur, ut poſtea convenerint, ſed ſcriptura, quod factum non ſit, oſtendit.

℟. Felix namque es ſacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima: * Quia ex te ortus eſt Sol juſtitiæ: * Chriſtus Deus noſter.

℣. Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro

Digitized by Google

pro devoto fœmineo ſexu, ſentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam ſanctam Deſponſationem. Quia. ℣. Gloria Patri. Chriſtus.

Lectio ix.

EMerentiana virgo Romana, collactanea Beatæ Agnétis, adhuc catechumena, fide, & charitate flagrans furentes in Chriſtianos Idolorum cultores cum vehementius accuſaret, à concitata multitudine lapidibus obruta eſt. Quæ in cruciatibus orans ad ſepulcrum Sanctæ Agnetis, proprio ſanguine, quem pro Chriſto conſtanter effudit, baptizata, animam Deo reddidit.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, & per Horas.

Antiphona.

Deſponſatio glorioſæ Virginis Mariæ, ex ſemine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex ſtirpe David.

Pſalm. Dominus regnavit. *cum reliquis de Dominica.*

Ant. Deſponſatio eſt hodie Sanctæ Mariæ Virginis, cujus vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias.

Ant. Regali ex progenie Maria exorta refulget, cujus precibus nos adjuvari mente, & ſpiritu devotiſſimè poſcimus.

Ant. Corde, & animo Chriſto canamus gloriam in hac ſacra ſolemnitate præcelſæ genitricis Dei Mariæ.

Ant. Cum iucunditate Deſponſationem Beatæ Mariæ celebremus, ut ipſa pro nobis intercedat ad Dominum Jeſum Chriſtum.

Capitulum.

Ab initio, & ante ſecula creata ſum, & uſque ad futurum ſeculum non deſinam, & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtravi.

Hymnus. O glorioſa Virginũ.

℣. Deſponſatio eſt hodie Sanctæ Mariæ Virginis.

℟. Cujus vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias.

Ad Benedictus Antiphona.

Deſponſationem hodiernam perpetuæ Virginis genitricis Dei Mariæ ſolemniter celebremus, qua celſitudo throni proceſſit. Alleluja.

Oratio.

FAmulis tuis, quæſumus Domine, cœleſtis gratiæ munus impertire, ut quibus Beatæ Virginis partus extitit ſalutis exordium, Deſponſationis ejus votiva ſolemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum noſtrum.

Deindè fit commemoratio Sanctæ Emerentianæ Virg., & M.

Ant. Simile eſt Regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas:

Digitized by Google

inventa una pretioſa, dedit omnia ſua, & cōparavit eam.
℣. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.
℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Oratio.

INdulgentiam nobis, quæſumus Domine, Beata Emerentiana virgo, & martyr imploret: quæ tibi grata ſemper extitit, & merito caſtitatis, & tuæ profeſſione virtutis. Per Dominum.

Ad Primam in ℟. *brev. dicitur* Qui natus es de Maria Virgine. *Ad Tertiam Antiph.* Deſponſatio eſt hodie. *Capit.* Ab initio *ut ſup.* ℟. *bre.* Specie tua,* & pulchritudine tua. Specie tua. ℣. Intende, proſperè procede, & regna. Et pulchritudine. Glor. Patri. Specie tua. ℣. Adjuvabit eam Deus vultu ſuo. ℟. Deus in medio ejus non commovebitur. *Oratio.* Famulis.

Ad Sextam Antiph. Regali ex progenie. *Capit. Eccli.24.6.* ET ſic in Sion firmata ſum, & in Civitate ſanctificata ſimiliter requievi, & in Jeruſalem poteſtas mea. Et radicavi in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea.

℟. *brev.* Adjuvabit eam * Deus vultu ſuo. Adjuvabit eam. ℣. Deus in medio ejus non commovebitur. Deus vultu. Gloria. Adjuvabit.
℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam.
℟. In tabernaculo ſuo habitare facit eam.

Ad Nonam Ant. Cum jucunditate. *Capit. Eccli.24.6.* IN plateis ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizans odorem dedi: quaſi myrrha electa dedi ſuavitatem odoris.

℟. *brev.* Elegit eam Deus, * & præelegit eam. Elegit. ℣. In tabernaculo ſuo habitare facit eam. Et præelegit eam. Gloria. Elegit.
℣. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.
℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

In ſecundis Veſperis omnia, ut in primis.

Ad Magnificat Antiphona.

Deſponſatio tua, Dei genitrix Virgo, gaudium annunciavit univerſo mundo: ex te enim ortus eſt Sol juſtitiæ, Chriſtus Deus noſter: qui ſolvens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donavit nobis vitam ſempiternam.

Oratio. Famulis tuis, *ut ſupra.*

Deindè fit commem. S.Timothei Epiſc. & Mart.

Ant. Iſte Sanctus pro lege Dei ſui certavit uſque ad mortem, & à verbis impiorum

rum

Digitized by Google

rum non timuit, fundatus enim erat ſupra firmam petram. ℣. Gloria, & honore coronaſti eum, Domine. ℟. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Oratio.

INfirmitatem noſtram reſpice, omnipotens Deus: & quia pondus propriæ actionis gravat, Beati Timothei Martyris tui, atque Pontificis interceſſio glorioſa nos protegat. Per Dominum.

Officium S. Raymundi de Pennafort transfertur in primam diem non impeditam.

FESTA FEBRUARII

Die II.

In Feſto

PURIFICATIONIS B.M.V.

Dupl. 2. Claſſ. cum oct.

Omnia dicuntur, ut in Breviario aſſignantur. In 2. veſp. com. S. Blaſii Epiſc. & Mart.

Poſt Completorium hac die ſemper ſumitur Ant. Ave Regina Cœlorum.

Si contigerit Octavam prorogari in Quadrageſimam, tunc omittitur quod ſupereſt, etiam quoad commemorationem. Officium verò ordinatur, ut reſpectivè notatur inferiùs die 28. Novembris octava die Præſentationis ejusdem B. Mariæ.

Infra hanc Octavam, quando Officium non celebratur de octava, celebrantes Miſſam votivam de B.M., dicant Miſſam de feſto Purificationis abſque Gloria, & Credo, præterquam in Sabbato, in quo dicitur tantùm Gloria. Quod obſervandum reſpectivè in omnibus aliis Octavis B.M.V.

Die III. Februarii.

Secunda die infra Octavam. Ad Matutinum Invitatorium. Ecce venit ad Templum ſanctum ſuum Dominator Dominus: * Gaude, & lætare Sion occurrens Deo tuo.

Pſal. Venite. *Hymnus, Antiphonæ, Pſalmi, & Verſiculi Nocturnorum dicuntur, ut infra in Officio B.M.V. in Sabbato.*

In 1. Noct. Lect. de Scrip. occur. Reſponſor. ut ſequuntur.

℟. I. Adorna Thalamum tuum Sion, & ſuſcipe Regem Chriſtum: * Quem Virgo concepit, Virgo peperit, Virgo poſt partum, quem genuit, adoravit.

℣. Accipiens Simeon puerum in manibus, gratias agens benedixit Dominum. Quem Virgo.

℟. II. Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundùm legem Moyſi, tulerunt Jeſum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino: * ſicut ſcriptum eſt in lege Domini: Quia omne maſculinum adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocabitur.

℣. Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos

Digitized by Google

pullos columbarum. Sicut ſcriptum.

℟. III. Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum: * Sicut ſcriptum eſt in lege Domini.

℣. Poſtquam autem impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundùm legem Moyſi, tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino. Sicut. Gloria. Sicut.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Serm. 18. de Sanct. in med.

EXultat Maria, & matrem ſe læta miratur, & de Spiritu Sancto ſe peperiſſe gaudet: nec quia peperit innupta, terretur: ſed quia genuerit cum exultatione miratur. O fœmina ſuper fœminas benedicta, quæ virum omnino non novit, & virum ſuo utero circumdedit! Circumdat virum Maria Angelo fidem dando, quia Eva perdidit virum ſerpenti conſentiendo. O felix obedientia, ò inſignis gratia! quæ dum fidem humiliter dedit, cœli in ſe opificem corporavit. Hinc promeruit gloriam, quam ipſa poſtmodum hauſit. Ecce, ait, ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

℟. Simeon juſtus, & timoratus expectabat redemptionem Iſrael: * Et Spiritus Sanctus erat in eo.

℣. Reſponſum accepit Simeon à Spiritu Sancto, non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Domini. Et Spiritus.

Lectio V.

O Beata Maria, quis tibi dignè valeat jura gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ ſingulari tuo aſſenſu mundo ſuccurriſti perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis perſolvat, quæ ſolo tuo commercio recuperandi aditum invenit? Accipe itaque quaſcunque exiles, quaſcunque meritis tuis impares gratiarum actiones: & cum ſuſceperis vota, culpas noſtras orando excuſa. Admitte noſtras preces intra ſacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis.

℟. Reſponſum accepit Simeon à Spiritu Sancto, non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Domini: * Et benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis ſervum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum Domine.

℣. Cum inducerent puerum Jeſum parentes ejus, ut facerent ſecundùm conſuetudinē legis pro eo: ipſe accepit eum in ulnas ſuas. Et benedixit.

Digitized by Google

Lectio vi.

SIt per te excuſabile, quod per te ingerimus : fiat impetrabile, quod fida mente poſcimus. Accipe quod offerimus, redóna quod rogamus, excuſa quod timemus: quia tu es ſpes unica peccatorum. Per te ſperamus veniam delictorum,& in te beatiſſima noſtrorum eſt expectatio præmiorum. Sancta Maria ſuccurre miſeris, juva puſillanimes, refove flebiles, ora pro populo,interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo ſexu: ſentiāt omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam ſanctam Purificationem.

℞. Cum inducerent puerum Jeſum, parentes ejus in Templum, ut facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro eo, accepit eum Simeon in ulnas ſuas,& benedixit Deū dicens: * Nunc dimittis Domine ſervum tuum in pace.

℣. Suſcipiens Simeon puerum in manibus, exclamavit, dicens: Nunc dimittis. Gloria. Nunc dimittis.

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Euangelii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.2.*

IN illo tempore:Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundùm legē Moyſi, tulerunt Jeſum in Jeruſalem,ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini. Et reliqua.

Homilía S. Joannis Chryſoſtomi.

Eſt Oratio 7. inter 17. Declamat. Patrum circa medium.

TAmetſi Virgo nulla purgatione egéret: attamen ne lex calcari videretur, adduxerunt puerum Jeſum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini. Ubi corporeæ expiationis mentio habetur, ibi lex Moyſi tribuitur; ubi verò oblationis ſanctæ, ibi, ſicut in lege Domini ſcriptum eſt, dicitur. Hoc autem diſcrimen ea de cauſa non conſtituitur, quaſi lex Moyſis non ſit lex Domini;(quidquid enim Propheta Spiritu Sancto afflatus de re quapiam differens loquitur,hoc ipſe nō loquitur, ſed Dominus ſuggerit) nihilominus, quod expiatio corporeū typum præſeferret, Moyſis ſanctio appellatur.

℞. Suſcipiens Jeſum in ulnas ſuas Simeon, exclamavit, & dixit: * Tu es verè lumen ad illuminationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.

℣. Cum inducerent puerum Jeſum parentes ejus, & ipſe accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit. Tu es verè.

Digitized by Google

Lectio viij.

Contra verò, quod omne primogenitum Domino ſiſteretur, Euangeliſta, quod primò ex utero enatum erat honórans, ſecundùm legem Domini ſiſti perhibet, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini: omne maſculinum adaperiens vulvam ſanctum Domino vocabitur. Hoc decretum, & hæc lex, totaque decreti, & legis ratio, & cauſa, ob eum poſita eſt, qui uterum aperturus erat. Nulla enim ſive brutorum animantium, ſive hominum primogenita comperta ſunt unquam, quæ aperirent vulvam; quare tantùm primogenita erant. Quem autem Virgo peperit, is ſolus uterum aperuit.

℞. Senex puerum portabat, puer autem ſenem regebat: * Quem Virgo concepit, virgo peperit, virgo poſt partum, quem genuit, adoravit.

℣. Accipiens Simeon puerum in manibus, gratias agens benedixit Dominum. Quem. Gloria Patri. Quem.

Pro S. Blaſio. Lectio ix.

Blaſius Sebaſte in Armenia cum virtutum laude floréret, ejuſdem Civitatis Epiſcopus eligitur. Qui, quo tempore Diocletianus inſatiabilem crudelitatem in Chriſtianos exercebat, ſe in ſpeluncam abdidit montis Argæi, ubi tandiù latuit, dum ab Agricolai Præſidis militibus venantibus deprehenſus, & ad Præſidem ductus, ejus juſſu conjectus eſt in vincula. Quo in loco multos ægrotos ſanavit, qui ad Blaſium ejus fama ſanctitatis adducti deferebantur. In illis puer fuit, qui deſperata à medicis ſalute, transverſa ſpina faucibus inhærente, animam agebat. Productus autem ad Præſidem Blaſius ſemel, & iterum, cum nec blanditiis, nec minis adduci poſſet, ut Diis ſacrificaret, primùm virgis cæſus, deindè in equuleo ferreis pectinibus dilaniatus eſt: poſtremò dempto capite illuſtre fidei teſtimoniū Chriſto Domino dedit tertio nonas Februarii. Te Deum.

Ad Laudes, & per Horas.

Ant. Simeon juſtus, & timoratus expectabat redemptionem Iſrael, & Spiritus Sanctus erat in eo. *Pſalm.* Dominus regnavit. *cum reliquis de Dominica.*

Ant. Reſponſum accepit Simeon à Spiritu Sancto, non viſurum ſe mortem, niſi videret Dominum.

Ant. Accipiens Simeon puerum in manibus, gratias agens benedixit Dominum.

Ant. Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.

Ant.

Digitized by Google

Ant. Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum.

Capitulum. *Malach.* 3.

Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis.

Hymnus. O glorioſa Virginũ.

℣. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Benedictus Antiph.

Cum inducerent puerum Jeſum parentes ejus, accepit eum Simeon in ulnas ſuas, & benedixit Deum, dicens: Nunc dimittis ſervum tuum in pace.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, majeſtatem tuam ſupplices exoramus: ut ſicut unigenitus filius tuus hodierna die cum noſtræ carnis ſubſtantia in templo eſt præſentatus; ita nos facias purificatis tibi mentibus præſentari. Per eumdem Dominum.

Pro S. Blaſio Epiſc. & Mart.

Ant. Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.

℣. Juſtus ut palma florebit.

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Oratio.

Deus, qui nos Beati Blaſii Martyris tui, atque Pontificis annua ſolemnitate lætificas: concede propitius, ut cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum noſtrum.

Ad Primam in ℟. *bre. dicitur*

Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Tertiam Ant. Reſponſum accepit Simeon. *Capitulum.* Ecce ego mitto, *ut ſup.*

℟. *brev.* Specie tua, * Et pulchritudine tua. Specie.

℣. Intende, proſpere procede, & regna. Et pulchritudine. Gloria. Specie.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu ſuo.

℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

Ad Sextam Ant. Accipiens Simeon. *Capit. Malach.* 3.

Ecce veniet, dicit Dominus exercituum: & quis poterit cogitare diem adventus ejus? Et quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum. ℟. *brev.* Adjuvabit eam, * Deus vultu ſuo. Adjuvabit.

℣. Deus in medio ejus non commovebitur. Deus vultu. Gloria Patri. Adjuvabit.

℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam. ℟. In tabernaculo ſuo habitare facit eam.

Ad

Digitized by Google

Ad Nonam Ant. Obtulerunt.

Capitulum. Malachiæ 3.

Et placebit Domino ſacrificium Juda, & Jeruſalem, ſicut dies ſeculi, & ſicut anni antiqui, dicit Dominus omnipotens. ℟. *brev.* Elegit eam Deus, * & prælegit eam. Elegit. ℣. In tabernaculo ſuo habitare facit eam. Et prælegit. Gloria. Elegit eam.

℣. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Veſperas Ant. Simeon juſtus. *cum reliquis de Laudibus, Pſalmi, Hymnus, Verſic., & reliqua, ut ſupra in primis Veſperis Feſti.*

Ad Magnificat Antiphona.

Hodie Beata Virgo Maria puerum Jeſum præſentavit in templo, & Simeon repletus Spiritu Sancto accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum in æternum.

Oratio ut ſupra.

Deinde fit commem. S. Andreæ Corſini Epiſc., & Conf. Antiph. Sacerdos, & Pontifex, & virtutum opifex, Paſtor bone in populo, ora pro nobis Dominum.

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum.

℟. Stolam gloriæ induit eũ.

Oratio.

Deus, qui in Eccleſia tua nova ſemper inſtauras exempla virtutum: da populo tuo Beati Andreæ Confeſſoris tui, atque Pontificis, ita ſequi veſtigia, ut aſſequatur & præmia. Per Dominum noſtrum.

Die IV. Februarii.

Tertia die infra octav. Purificat. fit de S. Andrea Corſini Ep., & Conf. ſemid. Omnia ut in Breviario cum commem. octav. in Laud., & Miſſ., in qua dicitur Credo, & veſp. ut ſup., in quib. à cap. de ſeq., comm. præced., & octav.

Die V. Februarii.

Quarta die infra oct. Purific. fit de S. Agatha Virg. & Mart. ſemid. Omnia, ut in Breviario cum commem. octav. in Laudib., & Miſſa, in qua Credo. In ſecundis veſp. à Capit. de octav. cum commem. S. Agathæ, & S. Dorotheæ Virg., & Mart.

Die VI. Februarii.

Quinta die infra oct. Purific. B. M. V. In Primo Nocturno Lect. de ſcrip. occurr. ℟. ut ſup.

In Secundo Nocturno.

Ex libro S. Epiphanii Epiſcopi adverſus hæreſes.

Lib. 3. hæreſi 78. poſt medium.

Lectio iv.

Beata Mater Dei Maria per Evam ſignificatur, quæ per ænigma accepit, ut Mater viventium vocetur. Illa etenim Mater viventium vocata eſt, etiam poſtquam audivit: Terra es, & in terram re-

Digitized by Google

reverteris poſt tranſgreſſionem. Et mirum eſt, quod poſt transgreſſionem hoc magnum cognomen habuit. Et quod quidem pertinet ad rem ſenſibilem ab illa Eva omnis hominum generatio deducta eſt in terra: hìc autem verè à Maria hæc vita Mundo genita eſt, ut viventem gigneret, & fieret Maria mater viventium: per ænigma igitur Maria mater viventium appellata eſt.

℟. Simeon juſtus, & timoratus expectabat redemptionem Iſrael: * Et Spiritus Sanctus erat in eo.

℣. Reſponſum accepit Simeon à Spiritu Sancto, non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Domini. Et Spiritus.

Lectio v.

EVæ datum eſt operire corpus ſenſibile propter nuditatem ſenſibilem: Mariæ verò datum eſt à Deo, ut pareret nobis Agnum, & ovem, & ex gloria ipſius Agni, & ovis fieret nobis velut à vellere in ſapientia per virtutem ipſius indumentum incorruptibilitatis. Eva etiam mortis cauſa facta eſt hominibus: per ipſam enim mors ingreſſa eſt in mundum. Maria verò cauſa vitæ, per quam genita eſt nobis vita, & per hanc Filius Dei advénit in mundum: & ubi abundavit peccatum, ibi ſuperabundavit & gratia: & unde illata eſt mors, illinc proceſſit & vita, ut vita pro morte fieret; & qui per mulierem nobis vita factus eſt, mortem ex muliere inductam excluderet. Et quoniam illic Eva, cum adhuc eſſet virgo, per inobedientiam tranſgreſſa eſt: è contrario, per virginem obedientia gratiæ facta eſt, annunciato adventu in carne de Cœlo, & vita æterna.

℟. Reſponſum accepit Simeon à Spiritu Sancto, non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Domini: * Et benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis ſervum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum Domine.

℣. Cum inducerent puerum Jeſum parentes ejus, ut facerent ſecundùm conſuetudinē legis pro eo: ipſe accepit eum in ulnas ſuas. Et benedixit.

Lectio vi.

DE Maria accipitur (liceat mihi hoc dicere) quod ſcriptum eſt de Eccleſia: Relinquet homo patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una. Sanctus autem Apoſtolus dicit: Myſterium hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia. Et vide ſcripturarum accu-

Digitized by Google

accuratam dicendi proprietatem, quòd de Adam quidem dixit, formavit: de Eva verò non formatam eſſe, ſed ædificatam. Accepit enim, inquit, unam de coſtis ejus, & ædificavit ipſi in uxorem. Quo oſtendat, Dominum quidem de Maria efformaſſe ſibi ipſi corpus, ab ipſa verò coſta ædificatam eſſe Eccleſiam, in eo quod punctum,& apertum eſt ipſius latus, & myſteria ſanguinis, & aquæ, pretia redemptionis facta ſunt.

℟. Cum inducerent puerum Jeſum parentes ejus in templum, ut facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro eo, accepit eum Simeon in ulnas ſuas, & benedixit Deum, dicens: * Nunc dimittis Domine ſervum tuum in pace.

℣. Suſcipiens Simeon puerum in manibus exclamavit, dicens:Nunc dimittis.Gloria. Nunc dimittis.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.2.*

IN illo tempore: Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecũdùm legem Moyſi, tulerunt Jeſum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Tom. 7. inter Hom. Hyem. poſt init. in die Purific. Deiparæ.

PRæcepit Dominus in lege, ut, qui poſſet, agnũ pro filio, vel filia ſimul, & turturem, ſive columbam offerret; qui verò non ſufficeret ad offerendum agnum, duos jam turtures,vel duos columbæ pullos offerret. Ergo Dominus noſtræ per omnia memor ſalutis, non ſolùm homo fieri, cum Deus eſſet;ſed etiã cum dives eſſet, pauper fieri dignatus eſt pro nobis: ut nos ſua paupertate ſimul, & humanitate, divitiarum, & divinitatis ſuæ donaret eſſe participes.

℟.Suſcipiens Jeſum in ulnas ſuas Simeon, exclamavit, & dixit: * Tu es verè lumen ad illuminationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.

℣. Cum inducerent puerum Jeſum parentes ejus, & ipſe accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit. Tu es.

Benedictio. Cujus feſtum colimus,ipſa Virgo Virginum intercedat pro nobis ad Dominum.

Lectio viij.

SEd libet pauliſper intuéri, cur hæ maximè volucres in hoſtiam Domini jubentur offerri; nam & Abraham Patriarcha tantò ante legem has in holocauſtum Domini legitur

Digitized by Google

tur obtuliſſe, & in plerisque legis cæremoniis, qui mundandus eſſet, per has jubebatur mundari. Columba ergo ſimplicitatem, turtur indicat caſtitatem, quia & columba ſimplicitatis,& caſtitatis amator eſt turtur: itaut ſi conjugem caſu perdiderit,nō aliam ultra quærere curet. Meritò ergo turtur, & columba Domino offeruntur in hoſtiam: quia nimirum ſimplex, & pudica fidelium converſatio, gratum eſt illi ſacrificium juſtitiæ.

℟. Senex puerum portabat, puer autem ſenem regebat: * Quem Virgo concepit, Virgo peperit, Virgo poſt partum, quem genuit, adoravit.

℣. Accipiens Simeon puerum in manibus gratias agens benedixit Dominum. Quem. Gloria Patri. Quem.

Lectio ix.

De S.Dorothèa Virg.& Mar.

DOrothéa Virgo, ex Cæſaréa Cappadociæ,propter Chriſti confeſſionem ab Apricio Præſide comprehenſa, Cryſtæ, & Calliſtæ ſororibus, quæ à fide defecerant, tradita eſt, ut eam propoſito removérent. Sed contra factum eſt: nam eas Dorothéa ad cultum Chriſtianæ Religionis reduxit, propter quam etiam martyrium ſuſceperūt. Quare Virgo equuleo diù torta, & palmis cæſa, ad extremum capitis damnata, duplicatam virginitatis, & martyrii palmam accepit.

Te Deum.

In Laudibus fit com.S.Dorothèę.

Ant. Simile eſt Regnum Cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inventa una pretioſa, dedit omnia ſua, & comparavit eā.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua. ℟. Intende, proſperè procede, & regna.

Oratio.

INdulgentiam nobis, quæſumus Domine, Beata Dorothéa Virgo, & Martyr imploret; quæ tibi grata ſemper extitit, & merito caſtitatis, & tuæ profeſſione virtutis. Per Dominum.

Veſp.de ſeq.feſto cum com.oct.

Die VII. Februarii.

In feſto S.Romualdi Abb.Dupl. Omnia, ut in Breviario, cum commem.Octavæ, etiam in Miſſa, in qua dicitur Credo. In ſecundis veſperis à cap. de ſeq. com.præced., & oct.

Die VIII. Februarii.

In feſto S. Ioannis de Matha Confeſſ.Dupl. Omnia, ut in Breviario cum commemor. Octavæ, etiam in Miſſa, in qua dicitur Credo. Veſp.de die Octav., ut in primis veſp. feſti,commem.præc., & S.Apolloniæ V.& M.

Die IX. Februarii.

In die Octavæ Purificationis B.Ma-

Digitized by Google

B.Mariæ Virginis.Dup.Omnia, ut in die feſto, præter ea, quæ hic aſſignantur. Si hac die occurrat Dominica privilegiata, ſerventur rubricæ adnotatæ inferiùs die 28. Novembris in octava Præſentat.B.M.V.

In Primo Nocturno.

Lectiones de ſcriptura occurr.

In Secundo Nocturno.

De expoſitione S. Gregorii Papæ in libros Regum.

In 1. Regum 1.

Lectio iv.

FUit vir unus de Ramathaim Sophim de monte Ephraim. Poteſt hujus montis nomine Beatiſſima ſemper Virgo Maria Dei genitrix deſignari. Mons quippè fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis ſuę dignitate tranſcendit. An non mons ſublimis Maria, quæ ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem ſupra omnes Angelorum Choros uſque ad ſolium Deitatis erexit? Hujus enim montis præcellentiſſimam dignitatem Iſaias vaticinans ait: Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippè in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ ſupra omnes Sanctos refulſit.

℟. Simeon juſtus, & timoratus expectabat redemptionẽ Iſrael: * Et Spiritus Sanctus erat in eo.

℣. Reſponſum accepit Simeon à Spiritu Sancto, non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Domini. Et Spiritus.

Ex Epiſtola S. Leonis Papæ ad Pulcheriam Auguſtam.

Epiſtola 13. ante med.

Lectio v.

SAcramentum reconciliationis noſtræ ante tempora æterna diſpoſitum nullę implebant figuræ, quia nondũ ſupervenerat Spiritus Sanctus in Virginem, nec virtus Altiſſimi obumbraverat ei, ut & intra intemerata viſcera ædificante ſibi Sapientia domum, Verbum caro fieret, & forma Dei, ac forma ſervi in unam convenientę perſonam, Creator temporum naſceretur in tempore, & per quem facta ſunt omnia, ipſe inter omnia gigneretur. Niſi enim novus homo factus in ſimilitudinem carnis peccati noſtrã ſuſciperet vetuſtatem,& conſubſtantialis Pàtri conſubſtantialis eſſe dignaretur, & matri, naturamque ſibi noſtram ſolus à peccato liber uniret, ſub jugo diaboli generaliter teneretur humana captivitas.

℟. Reſponſum accepit Simeon à Spiritu Sancto, non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Domini: * Et bene-

Digitized by Google

benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis ſervum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum Domine.

℣. Cum inducerent puerum Jeſum parentes ejus, ut facerent ſecundùm conſuetudinē legis pro eo: ipſe accepit eum in ulnas ſuas. Et benedixit.

De expoſitione S. Baſilii Epiſcopi in Iſaiam Prophetam.

In cap. 18. poſt initium.

Lectio vi.

Acceſſi, inquit, ad Prophetiſſam, & in utero accepit, & peperit filium. Quod Maria Prophetiſſa fuerit, ad quam proximè acceſſit Iſaias per prænotionem Spiritus, nemo contradixerit, qui ſit memor verborum Mariæ, quæ prophetico afflata ſpiritu elocuta eſt. Quid enim ait? Magnificat anima mea Dominum: & exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo: Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quod ſi animum accommodaveris univerſis ejus verbis; non utique per diſſidium negaveris, eam fuiſſe Prophetiſſam, quod Domini ſpiritus in eā ſupervenerit, & virtus Altiſſimi obumbraverit ei.

℟. Cum inducerent puerum Jeſum parentes ejus in templum, ut facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro eo, accepit eum Simeon in ulnas ſuas, & benedixit Deum dicens: * Nunc dimittis Domine ſervum tuum in pace.

℣. Suſcipiens Simeon puerum in manibus, exclamavit dicens. Nunc dimittis. Gloria Patri. Nunc dimittis.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. *Cap. 2.*

In illo tempore: Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundùm legem Moyſi, tulerunt Jeſum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini. Et reliqua.

Homilſa S. Jo: Chryſoſtomi.

Ex oratione 17. inter Declamat. Patrum.

Lumen ad revelationem gentium. Cur lumen? Quia gentes in tenebris verſabantur, & quia rurſum obſcurata, tetriſque peccatorū tenebris obducta, per illud illuſtranda, & expianda erant. Et gloriam plebis tuæ Iſrael. Hìc gloria, illìc revelatio. Hìc doctrinæ initium, illìc diſciplinæ perſecutio. Et gloriam plebis tuæ Iſrael. Aſt objecerit hìc fortè quiſpiam, Dic quæſo, ubi nam ſunt Iſraelitæ? Ecce habes Petrum, habes Paulum, habes Joan-

Digitized by Google

Joannem, habes tria millia, habes quinque millia, habes Eccleſiam Jeroſolymitanam, habes eos præterea Judæos, qui inter gentes diſperſi fidem ſuſceperant.

℟. Suſcipiens Jeſum in ulnas ſuas Simeon, exclamavit, & dixit: * Tu es verè lumen ad illuminationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.

℣. Cum inducerent puerum Jeſum parentes ejus, & ipſe accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit. Tu es verè. *Benedictio.*

Cujus feſtum colimus, ipſa Virgo Virginum intercedat pro nobis ad Dominum.

Lectio viij.

Itaque aſſervabatur in populo illo fidei ſemen: neque ſimul univerſus peſſum ivit, abſit;neque ſimul omnes Judæi in interitum iverunt, ſed plurimi. Neque id mirum; nam & nunc quoque in felici hac rerum conſtitutione, beatàque vocatione,multi quidem ſunt vocati, pauci verò electi. Non totus itaque populus ille ſimul interiit, non totus depravatus eſt, non totus in infidelitate permanſit, non totus perſecutus eſt Apoſtolos, Crediderunt enim per Apoſtolos ſimul tria millia extra mulieres, & parvulos, & facta eſt Jeroſolymis Eccleſia admodum numeroſa.

℟. Senex puerum portabat, puer autem ſenem regebat: * Quem Virgo concepit,Virgo peperit, Virgo poſt partum, quem genuit,adoravit.

℣. Accipiens Simeon puerum in manibus,gratias agens benedixit Dominum. Quem Virgo. Gloria Patri. Quem Virgo.

Pro Sancta Apollonia.

Lectio ix.

Apollonia, Virgo Alexãdrina, ſub Decio Imperatore, cum, ingraveſcente jam ætate ad idóla ſiſteretur, ut eis venerationem adhiberet, illis contemptis, Jeſum Chriſtum verum Deum colendum eſſe prædicabat.Quãobrem omnes ei contuſi ſunt, & evulſi dentes, ac niſi Chriſtum deteſtata deos coleret, accenſo rogo, combuſturos vivam minati ſunt impii carnifices. Quibus illa,ſe quamvis mortem pro Jeſu Chriſti fide ſubitúram, reſpondit. Itaque comprehenſa,ut comburereretur, cũ paulisper, quaſi deliberans, quid agendum eſſet, ſtetiſſet, ex illorum manibus elapſa, alacris in ignem ſibi paratum, majori Spiritus Sancti flamma intus accenſa, ſe injecit. Unde brevi conſumpto corpore, puriſſimus ſpiritus in Cœlum ad ſempiternam martyrii coronã evolavit. Te Deum.

In

Digitized by Google

In Laudibus , pro Sancta Apollonia, commem.

Simile eſt Regnum Cœlorũ homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inventa una pretioſa, dedit omnia ſua , & comparavit eam.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua.

℟. Intende , proſperè procede, & regna.

Oratio.

DEus, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula, etiam in ſexu fragili victoriam martyrii contuliſti: concede propitius, ut qui Beatæ Apolloniæ virginis , & martyris tuæ natalitia colimus , per ejus ad te exempla gradiamur . Per Dominum noſtrum.

FESTA MARTII.

Die XXV.

Feſtum

ANNUNCIATIONIS B.M.V. Dupl.2.Claſſis.

Omnia, ut in Breviario, & ſine octava, ſi celebretur in Quadrageſima . Si autem transferatur poſt Paſcha , interdum contingit habere aliquos dies octavæ: quod evenit , quando Paſcha celebratur die 22. & 23. Martii. Tunc autem in die octavæ ſit officium, ſicut in feſto , exceptis Lectionibus Primi Nocturni, quæ legentur de ſcriptura occurrente.

In caſu Translationis feſtorum S. Joſeph , & Annunciationis B. M. amborum ritus dupl. 2. claſſis , priùs faciendum eſt officium de Annunciatione , quàm de S.Joſeph , licèt feſtum S.Joſeph in Kalendario ſit priùs deſcriptum. Ita decrevit Sac. Rit. Congr. 14.Junii 1691.

Feria VI.poſt Dom.Paſſ.

Feſtum

SEPTEM DOLORUM B.M.V. Dupl. majus.

Ubi ex indulto Apoſtolico celebratur hoc feſtum , in noſtris Eccleſiis recitetur, ipſa die officium, quod ſpecialiter pro noſtra Religione approbatum fuit à S. Sede Anno 1673., & recitatur Dom. III. Septembris ex declaratione Sac. Rit. Congreg. in una Mutinen. 18.Apr.1682. Lect. verò ſecundi, & tertii Nocturni deſumi poterunt ex aſſignatis inferiùs pro illo menſe currente, in quo officium recitari contigerit.

FESTA APRILIS.

Die XVI.

In Feſto

BEATI JOACHIMI Confeſſoris, Ordinis noſtri Servorum B.M.V.Dupl.

Omnia , ut in Communi Confeſſorum [redacted]*, præter ea , quæ hic notantur.*

Si hoc feſtum venerit in majori Hebdomada , vel infra octavã Paſchæ transfertur in aliam diem

diem non impeditam, ut in Rubric. de Translatione feſtorum Breviarii Romani. Et tunc fit officium, ut fieri ſolet tempore Paſchali, ac in Hymno Iſte Confeſſor, *dicitur* Meruit ſupremos. *Oratio.*

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, quas in Beati Joachími Confeſſoris tui ſolemnitate deferimus, ut qui noſtræ juſtitiæ fiduciā non habemus, ejus, qui tibi placuit, precibus adjuvemur. Per Dominum.

In Primo Nocturno.

De Libro Sapientiæ.

Cap. 4. & 5. *Lectio i.*

Juſtus, ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Senectus enim venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata; cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata: Placens Deo factus eſt dilectus: & vivens inter peccatores trāslatus eſt: Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Faſcinatio enim nugacitatis obſcúrat bona, & incōſtantia concupiſcentiæ transvertit ſenſum ſine malitia. Conſummatus in brevi explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.

℟. Euge ſerve bone, & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituā:* Intra in gaudium Domini tui.

℣. Domine quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum. Intra in gaudium.

Lectio ij.

Populi autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia: quoniam gratia Dei, & miſericordia eſt in Sanctos ejus, & reſpectus in electos illius. Cōdemnat autem juſtus mortuus vivos impios, & juventus celeriùs conſummata longam vitam injuſti. Videbunt enim finem ſapientis, & non intelligent quid cogitaverit de illo Deus, & quarè munierit illum Dominus. Videbunt, & contemnent eum: illos autem Dominus irridebit. Et erunt poſt hæc decidentes ſine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum: quoniam disrumpet illos inflatos ſine voce, & commovebit illos a fundamentis, & uſque ad ſupremum deſolabuntur.

℟. Juſtus germinabit ſicut lilium, * Et florebit in æternum ante Dominum.

℣. Plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri. Et.

Le-

Digitized by Google

Lectio iij.

ET erunt gementes, & memoria illorum peribit. Venient in cogitatione peccatorum ſuorum timidi, & traducent illos ex adverſo iniquitates ipſorum. Tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes intra ſe pœnitentiā agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes: Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt.

℞. Iſte cognovit juſtitiam, & vidit mirabilia magna, & exoravit Altiſſimum, * Et inventus eſt in numero Sanctorum.

℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & pervénit ad cœleſtia Regna. Et inventus. Gloria. Et inventus.

In Secundo Nocturno.

Lectio iv.

JOachímus Senenſis ex Piccolominea familia natus, à prima ætate Dei genitricem Mariam præcipuè colens, ſeq; in operibus charitatis exercens, omnia, quæ ex paterna domo habere poterat, pauperibus erogabat. Annos tredecim natus ab ipſa Dei Genitrice in ſomnis admonitus, in Ordinem Servorum invítis parentibus à Beato Philippo ejuſdem Ordinis Generali recipitur. Mira erat in eo humilitas, inſignis obedientia, & laborum perpeſſio: nam munia quæque in Monaſterio viliſſima obibat; nec tamen ab oratione quoties licebat, per occupationes vacabat. Afflictis, & infirmis, quibus modis omnibus inſerviebat, maximoperè compatiebatur. Cujus rei illud maximum argumentum fuit, quod Aretium obedientiæ cauſa proficiſcens, ægrótum comitiali morbo diuturno laborantem, & conquærentem, ad patientiam cohortatus, cum is, faciliùs eſſe hortari, quàm ferre, reſpondiſſet; Joachímus Deū, ut morbum illius in ſe transferret, precatus, vix (mirabile dictu) orandi finem fecit, cum, ægroto illo repentè ſanato, ipſe à morbo comitiali, (ex quo uſque ad mortem laboravit) correptus eſt.

℞. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodivit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutavit illum, * Et dedit

Digitized by Google

illi claritatem æternam.

℣. Juſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

ARetii, dum celebranti in die Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis miniſtrabat, morbo memorato ſtatim oppreſſus corruit; cereus tamen, quem ipſe ad elevationem Sanctiſſimæ Euchariſtiæ dextera manu tenebat, cunctis, qui aderant mirantibus, ſuſpenſus in aere divinitùs manſit. Senas reverſus, totus erat in oratione, & meditatione in ſpecu, quæ, devotionis officio adhuc à Senenſibus viſitur. Ejus ſanctitatem Deus multis ſignis comprobatam eſſe voluit. Nam cum ab ægróti viſitatione noctu domum rediret, nec poſſet janitorem, qui ſibi aperiret, excitare, ad orationem confugiens, portam monaſterii ultrò apertam invénit. Cum ex eodem morbo cadens, mēſam cibis inſtructam in terrā ſecum traxiſſet, nihil tamen in ea, aut confractum, aut de loco deturbatum eſt. Dum orabat in Choro cum cæteris Fratribus, caput ejus flamma, ſeu ſplendore quodam aliquando coruſcare viſum fuit. Patiendi cupidus, ut alios ſuę ægræ valetudini cruciatus adderet, quò Paſſionis Dominicæ magis particeps eſſet, Deū orabat; quare novum morbi genus, quo caro ejus ab exortis vermibus abſumeretur, ei immiſſum fuit; nec tamen à Medicis unquam viſitari, aut Deum, quem pro aliis infirmis orare ſolitus erat, ut à ſe morbum depelleret, rogare voluit, illud Apoſtoli ſæpe uſurpans: Cum infirmor, tunc potens ſum.

℟. Amavit eum Dominus, & ornavit eum; ſtolam glorię induit eum,* Et ad portas paradiſi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. Et ad.

Lectio vi.

CVm ex hoc carcere, quo die Chriſtus pro mundi ſalute Cruci affixus eſt, educi à Deo poſtulaſſet; Feria quinta in Cœna Domini Sacra Communione refectus, Fratres, qui ad ipſum viſitandum venerant, oravit, ut pro ſe preces ad Deum funderent, quò ſecurior in ſequenti die migraret. Itaque dum illi in Eccleſia die Paraſceves (quæ fuit decimoſexto Kalendas Maji) Paſſionem Domini de more cantantes ea verba: Et inclinato capite tradidit ſpiritum, pronunciabant, ipſe annos quadragintaſeptem natus, ſuum Deo reddidit ſpiritum anno ſalutis milleſimo

ter-

Digitized by Google

tercenteſimo quinto; ad cujus tumulum miracula aliqua ſubſecuta ſunt. Nam puer ſexennis in lacúna ſuffocatus, à matre Beato Joachimo ſuppliciter commendatus, revixit. Quidam etiam Maſſanus morti inſons adjudicatus, ope ab eodem implorata, carcere divinitùs reſerato, ac vinculis reſolutis, fugiens mortem evaſit. Multa etiam in dies ſuper comitiali morbo laborantibus ſigna fiunt. Quamobrem, Senenſes, ex publico Civitatis decreto quotannis in die depoſitionis illius ad Eccleſiam Servorum, in qua Corpus ejus piè aſſervatur, & colitur, ad illud venerandum veniunt, & dona ferunt. Paulus verò Quintus Pontifex Maximus, ut de eo Officium divinum in Eccleſiis Ordinis Servorum ubique recitetur, anno milleſimo ſexcenteſimo nono indulſit.

℞. Iſte homo perfecit omnia, quæ locutus eſt ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam, * Quia te vidi juſtum coram me ex omnibus gentibus.

℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & pervenit ad cœleſtia regna. Quia. Gloria. Quia.

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Euangelii ſecundùm Lucam. *Cap. 12. c.*

Lectio vij.

IN illo tempore: Dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Et reliqua.

Homilía S. Gregorii Papæ.

Homil. 13. in Evang.

SAncti Euangelii, fratres cariſſimi, aperta vobis eſt lectio recitata. Sed ne aliquibus ipſa ejus planities alta fortaſſe videatur, eam ſub brevitate tranſcurrimus, quatenus ejus expoſitio, ita neſcientibus fiat cognita, ut tamen ſcientibus non ſit oneroſa. Dominus dicit: Sint lumbi veſtri præcincti. Lumbos enim præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Sed quia minùs eſt mala non agere, niſi etiam quiſque ſtudeat, & bonis operibus inſudare, protinus additur. Et lucernæ ardentes in manibus veſtris. Lucernas quippè ardentes in manibus tenemus, cum per bona opera proximis noſtris lucis exempla monſtramus. De quibus profectò operibus Dominus dicit: Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt.

℞. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & de omni corde ſuo lauda-

Digitized by Google

vit Dominum: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Ecce homo ſine queréla, verus Dei cultor, abſtinens ſe ab omni opere malo, & permanens in innocentia ſua. Ipſe intercedat.

Bened. Cujus feſtum colimus.

Lectio viij.

DUo autem ſunt, quæ jubentur, & lumbos reſtringere, & lucernas tenére: ut & munditia ſit caſtitatis in corpore, & lumen veritatis in operatione. Redemptori etenim noſtro unum ſine altero placére nequaquam poteſt: ſi aut is, qui bona agit, adhuc luxuriæ inquinamenta non deſerit: aut is, qui caſtitate præeminet, nec dum ſe per bona opera exercet. Nec caſtitas ergo magna eſt ſine bono opere, nec opus bonum eſt aliquod ſine caſtitate. Sed & ſi utrumque agitur, reſtat, ut quisquis ille eſt, ſpe ad ſupernam patriam tendat, & nequaquam ſe à vitiis pro mundi hujus honeſtate contineat.

℟. Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, * Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando revertatur à nuptiis.

℣. Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio ix.

ET vos ſimiles hominibus expectantibus Dominũ ſuum, quando revertatur à nuptiis: ut cum venerit, & pulſaverit, confeſtim aperiant ei. Venit quippe Dominus cum ad judicium properat: pulſat verò, cum jam per ęgritudinis moleſtias eſſe mortẽ vicinam deſignat, cui confeſtim aperímus, ſi hunc cum amore ſuſcipimus; aperíre enim judici pulſanti non vult, qui exire de corpore trepidat, & videre eum, quem cõtempſiſſe ſe meminit, judicem formídat. Qui autem de ſua ſpe, & operatione ſecurus eſt, pulſanti cõfeſtim aperit, quia lætus judicem ſuſtinet: & cum tempus propinquæ mortis advenerit, de gloria retributionis hilareſcit. Te Deum.

Miſſa. Juſtus, &c. *ut in Miſſali, de Commun. Confeſ. non Pontif. Epiſtola* Quæ mihi fuerunt lucra, &c. *& dicitur* Credo. *In ſecundis Veſp. commem. S. Aniceti Papæ, & Mart.*

Ant. Iſte Sanctus pro lege Dei ſui certavit uſq; ad mortem, & à verbis impiorum non timuit, fundatus enim erat ſupra firmam petram.

℣. Gloria, & honore coronaſti eum Domine. ℟. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Ora-

Digitized by Google

Oratio.

DEus, qui nos Beati Anicéti Martyris tui, atque Pontificis annua ſolemnitate lætificas: concede propitius, ut cujus natalitia colimus, de ejuſdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum.

Si feſtum celebretur poſt Paſcha, pro commemor. S. Aniceti, Ant. erit: Lux perpetua lucebit Sanctis tuis Domine, & æternitas temporum, allel. ℣. Sancti, & juſti in Domino gaudete, allel. ℟. Vos elegit Deus in hæreditatem ſibi, allel. *Oratio ut ſupra.*

Die XXIX. Aprilis.

In feſto S. Petri Mart. Ordinis Prædicatorum; *olim Dupl. nobis, nunc pro univerſa Eccleſia.*

Omnia, ut in Breviar. Miſſa, ut in Miſſali. Non dicitur Credo, &c. *In ſecundis Veſp. extra Forumlivii à Cap. de Beato Peregrino Confeſſore. Commemor. S. Petri Mart. Et feſtum S. Catharinæ Senenſis transfertur in primam diem non impeditam.*

Forolivii in ſecundis Veſperis S. Petri Mart. à cap. de S. Catharina Senenſi. Commem. S. Petri. Et die 30. Aprilis. S. Catharinæ Senen. Virg. Omnia, ut in Breviar. In ſecundis Veſper. à Cap. de Beato Peregrino cum commem. S. Catharinæ. Feſtum SS. Apoſtol. Philippi, & Jacobi transfertur in primam diem non impeditam.

Die XXX. Aprilis.

In Feſto

BEATI PEREGRINI

Confeſſoris, Ordinis noſtri Servorum B. M. V. Dup.

Omnia, ut in Communi Confeſſ. [redacted] *præter ea, quæ hic adnotantur. Dicitur autem Officiū, ut tempore Paſchali.*

In Hymno Iſte Confeſſor *dicitur* Meruit ſupremos.

Oratio.

DEus, qui nos Beati Peregrini Confeſſoris tui annua ſolemnitate lætificas, concede propitius; ut cujus natalitia colimus, etiam actiones imitemur. Per Dominum noſtrum.

Deinde ſit commem. S. Petri M. Ant. Sancti, & juſti in Domino gaudete, alleluja. Vos elegit Deus in hæreditatem ſibi, alleluja. ℣. Pretioſa in conſpectu Domini, alleluja. ℟. Mors Sanctorum ejus, alleluja.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut B. Petri Martyris tui fidem congrua devotione ſectemur: qui pro ejuſdem Fidei dilatatione Martyrii palmam meruit obtinere. Per Dominum.

In Primo Nocturno.

De Libro Eccleſiaſtici.

Lectio i. *Cap. 31.*

BEatus vir, qui inventus eſt ſine macula, & qui poſt au-

Digitized by Google

aurum non abiit, nec ſperavit in pecunia, & theſauris. Quis eſt hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita ſua. Qui probatus eſt in illo, & perfectus eſt, erit illi gloria æterna; qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus: facere mala, & non fecit: ideò ſtabilita ſunt bona illius in Domino, & eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum.

℞. Euge ſerve bone, & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituā: * Intra in gaudium Domini tui.

℣. Domine quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum. Intra.

Lectio ij. *Cap.32.& 33.*

Qui timet Dominum excipiet doctrinam ejus, & qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem. Qui quærit legem replebitur ab ea, & qui inſidioſè agit, ſcandalizabitur in ea. Qui timent Dominum invenient judicium juſtum, & juſtitias quaſi lumen accendent. Qui credit Deo, attendit mādatis: & qui confidit in illo, non minorabitur. Timenti Dominum, non occurrent mala, ſed in tentatione Deus illum conſervabit, & liberabit à malis. Sapiens non odit mandata, & juſtitias, & non illidétur quaſi in procella navis. Homo ſenſatus credit legi Dei: & lex illi fidelis.

℞. Juſtus germinabit ſicut lilium: * Et florebit in æternum ante Dominum.

℣. Plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri. Et florebit.

Lectio iij. *Cap.34.*

Spiritus timentium Deum quæritur, & in reſpectu illius benedicetur; ſpes enim illorum in ſalvantem illos, & oculi Dei in diligentes ſe. Qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pavebit: quoniam ipſe eſt ſpes ejus. Timentis Dominum beata eſt anima ejus; Ad quem reſpicit, & quis eſt fortitudo ejus? Oculi Domini ſuper timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & umbraculum meridiani: deprecatio offenſionis, & adjutorium caſus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans ſanitatem, & vitam, & benedictionem.

℞. Iſte cognovit juſtitiam, & vidit mirabilia magna, & exoravit Altiſſimum, * Et inventus eſt in numero Sanctorum.

℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & pervenit ad Cœleſtia Regna. Et inventus. Gloria Patri. Et inventus.

In

Digitized by Google

In Secundo Nocturno.

Lectio iv.

PEregrinus Forolivii ex nobili Latioſorum familia ortus, Sanctiſſimæ Virginis Deiparę devótus, quadam die in Eccleſia Cathedrali ante illíus imaginem diutiùs orans, & petens, ut vias ſuas dirigeret, eam pretioſis veſtibus indutam, ſibi, ut ad ſervos ſuos ſe conferret, præcipientem audivit. Quare adoleſcens Angelo comite Senas profectus, Priori Servorum viſionem, mandatumque Virginis expoſuit, ac recipi humiliter poſtulavit. In receptione ſplẽdore quodam cœleſti, quo futura ſanctitas ejus præmonſtrabatur, Caput illius circumfulſit. Triginta annos natus Forolivium remiſſus, ubi diù laboribus, vigiliis, jejuniis, orationibus, variiſque corporis macerationibus exercitam vitam duxit. Nunquam (mirandum) per annos triginta ſedére viſus: at ſi quando, ſomno, aut laxitudine victus ſtare non poſſet, ſaxo pro ſede utebatur. Nunquam in lecto, neque infirmus decubuit, noctes ferè omnes inſomnes in orationibus, & piis meditationibus ducere ſolitus. Nulla die conſcientiæ examine, & Sacramentali confeſſione prætermiſſis, peccata lacrymis etiam exterioribus deflebat.

℞. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodivit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam.

℣. Juſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi Regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

ADmirabili fuit patientia. Nam cum crus ex cancri morbo intumuiſſet, atque putredine adeò eſſet infectũ, ut fœtorem omnibus inferret, ſic tamen abſque omni querimonia ſemper fuit, ut Cives illum alterum Job appellarent. Cum autem crus illud medicorum cõſilio amputandum eſſet, Peregrinus nocte præcedente ſolus ex loco, in quo jacebat, ſurgens, & reptans, ut poterat, in Capitulum venit, ibique ante Crucifixi imaginem (quæ adhuc manet, & magnam habet apud Foroliviẽſes venerationem) vehementius orans, & obdormiſcens, Chriſtum de Cruce deſcendentem, & crus tangentem vidit. Expergefactus, ita crus ſanatum ſenſit, ac ſi nunquam tumidũ, ulceratum, putridumve fuiſſet. Medici verò mane, ut crus ſecarent, advenientes, cum illud ſanum vidiſſent, ſtupore affecti, domum, tanto miraculo per urbem divul-

Digitized by Google

vulgato, regreſſi ſunt.

℞. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, ſtolam gloriæ induit eum,* Et ad portas Paradiſi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. Et ad.

Lectio vi.

PEregrinus piis laboribus, ac ætate confectus (erat enim octogenarius) brevi febre correptus, Calendis Maji anno ſalutis milleſimo tercenteſimo quadrageſimoquinto migravit ad Chriſtum. Ejus animam, Beato Philippo Ordinis Servorum Beatę Mariæ Virginis, & Beato Franciſco Senenſi ejuſdem Ordinis comitantibus, à Virginibus in Cœlum deferri viſam, memoriæ proditum eſt. Multa poſt mortem miracula ſanctitatem ipſius declararunt. In quibus cæcus, Peregrino manum ex feretro oculis illius admovente, lumen recepit. Mulier etiam multis obſeſſa dæmonibus, ad ſacrum Corpus ipſius perducta, liberata eſt. Quidam ex arbore procéra in terram delapſus, Peregrini nomine invocato, ſine ulla lęſione repertus fuit. Ad cujus tumulum Calendis Maji, non tantùm Civitas Forolivienſis, ſed finitimi populi quotannis ad illum venerandum confluere, votaque ei nuncupare ſolent. Paulus Quintus Summus Pontifex anno milleſimo ſexcenteſimo nono conceſſit, ut Officium Divinum in toto Servorum Ordine recitari poſſit.

℞. Iſte homo perfecit omnia, quæ locutus eſt ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam, * Quia te vidi juſtum coram me ex omnibus gentibus.

℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & pervenit ad Cœleſtia regna. Quia. Gloria. Quia.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 12.

IN illo tempore dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Nolite timere puſillus grex: Quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Et reliqua.

Homilía Venerabilis Bedæ Presbyteri. *Lucæ* 12.

PUſillum gregem electorum, vel ob comparationē majoris numeri reproborũ, vel potius ob humilitatis devotionem nominat: quia videlicet Eccleſiam ſuã quantalibet numeroſitate jam dilatatam, tamē uſq; ad finem mundi humilitate vult creſcere, & ad promiſſum Regnũ humilitate pervenire. Ideòque ejus labores blandè conſolatus, quã Regnum Dei tantùm quærere præcipit, eidem regnum à Pa-

Patre dandum complacita benignitate promittit.

℟. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & de omni corde ſuo laudavit Dominum: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Ecce homo ſine queréla, verus Dei cultor, abſtinens ſe ab omni opere malo, & permanens in innocentia ſua. Ipſe intercedat.

Bened. Cujus feſtum.

Lectio viij.

Vendite quæ poſſidétis, & date eleemoſynam. Nolite, inquit, timere, ne propter Regnum Dei militantibus, hujus vitæ neceſſaria deſint, quin etiam poſſeſſa, propter eleemoſynam vendite; Quod tunc dignè fit, quando quis ſemel pro Domino ſuis omnibus ſpretis, nihilominus poſt hæc labore manuum, unde & victum transfigere, & eleemoſynam dare queat, operatur. Unde gloriatur Apoſtolus, dicens: Argentum, aut aurum, aut veſtem nullius concupivi; ipſi ſcitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ. Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos.

℟. Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, * Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando revertatur à nuptiis.

℣. Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. Et vos. Gloria. Et vos.

Lectio ix.

Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt: eleemoſynas videlicet operando, quarum merces in æternum maneat. Ubi non hoc præceptum eſſe putandum eſt, ut nihil pecuniæ reſervetur à Sanctis, vel ſuis ſcilicet, vel pauperum uſibus ſuggerendæ; Cum & ipſe Dominus, cui miniſtrabant Angeli, tamen ad informandam Eccleſiam ſuam loculos habuiſſe legatur, & à fidelibus oblata conſervans, & ſuorum neceſſitatibus, aliiſque indigentibus tribuens; ſed ne Deo propter iſta ſerviatur, & ob inopiæ timorem juſtitia deſeratur.

Te Deum.

Miſſa, Os juſti. *Evangelium* Nolite timere. *dicitur* Credo.

In primis Veſperis SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi, fit commemor. B. Peregrini.

Ant. Hic vir deſpiciens mũdum, & terrena triumphans, divitias Cœlo condidit ore, manu, alleluja.

℣. Juſtum deduxit Dominus per vias rectas, alleluja.

℟. Et

Digitized by Google

℞. Et oſtendit illi Regnum Dei, alleluja.

Oratio.

DEus, qui nos Beati Peregrini Cōfeſſoris tui annua ſolemnitate lætificas: cōcede propitius; ut cujus natalitia colimus, etiam actiones imitemur. Per Dominum noſtrum.

FESTA MAJI.

Die I. Maji.

Forolivii.

DE BEATO PEREGRINO.

In primis Veſperis à Capit. de Beato Peregrino. Commem. Sanctæ Catharinæ Senenſis, ut in Breviario. Reliqua omnia, ut ſupra. Feſtum SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi transfertur in primam diem non impeditam feſto novem lectionum, ut in Rubrica Breviarii de Translat. Feſtorum.

Die IV. Maji.

In Feſto

SANCTÆ MONICÆ

Viduæ. Dupl.

In ſecundis Veſperis de Inventione SS. Crucis, fit commem. de S. Monica. Reliqua omnia, ut in Breviario. Lectiones Primi Nocturni, de Parabolis Salomonis. Mulierem fortem, *cum reliquis de Commun. nec Virg., nec Mart., exceptis iis, quæ in proprio loco aſſignantur.*

FESTA JUNII.

Die XIX.

In Feſto Beatæ

JULIANÆ FALCONERIÆ

Virginis, Tertii Ordinis noſtri. Semiduplex.

Omnia cum oratione Exaudi, *ut in Communi Virginum primo loco, præter lect. primi Noct. quæ dicuntur de ſcript. occurr., Nona lectio, & commem. SS. Gervaſii, & Protaſii Martyrum. Miſſa,* Dilexiſti *abſque* Credo.

Florentiæ, ubi quieſcit Corpus Beatæ, hoc feſtum celebratur ritu duplici, & in Miſſa dicitur Credo.

FESTA JULII.

Die II.

VISITATIO B. M. V.

Dupl. 2. Claſſ. cum octava.

Omnia, ut in Breviario. In primis Veſperis, non fit commem. aliqua, niſi octavæ S. Joannis Baptiſtæ.

In Laudibus, & Miſſis privatis commem. SS. Mart. Proceſſi, & Martiniani cum nona Lect. nihil de octava Apoſtol. In ſecundis Veſp. commem. octavæ Apoſtolorum.

Quatuor diebus ſequ. Officium fit de octava Apoſtolorum Petri, & Pauli, ut in Breviario cum commem. octavæ Viſitationis. Finis Hymnorum Jeſu tibi ſit gloria, qui natus, *& cantantur in tono B. M. V.*

Die

Digitized by Google

Die VII. Julii.

Sexta die infra octavam Viſitationis Beatæ Mariæ Virg.

Ad Matutinum, Invitat.

Viſitationem Virginis Mariæ celebremus, * Chriſtum ejus filium adoremus Dominum. *Pſalmus* Venite. *Hymnus* Quem terra. *Antiph. Pſalm.* & ℣. *Nocturnorum, ut infra in Offic. B. Mariæ in Sabbato.*

In Primo Nocturno Lect. de Scriptur. occurr.

℟. 1. Surge, propera amica mea, formoſa mea, & veni: jam enim hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit: * Vox turturis audita eſt in terra noſtra.

℣. Intravit Maria in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth. Vox turturis.

℟. 2. Quæ eſt iſta, quæ proceſſit ſicut Sol, & formoſa tanquam Jeruſalem: * Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & Reginæ laudaverunt eam.

℣. Et ſicut dies verni circumdabant eam flores roſarum, & lilia convallium. Viderunt eam.

℟. 3. Repleta eſt Spiritu Sancto Eliſabeth, & exclamavit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui:* Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?

℣. Ecce enim ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Et undè. Gloria Patri. Et undè.

In Secundo Nocturno.

Sermo Sancti Cyrilli Epiſcopi Alexandrini.

Homilia contra Neſtor.

Lectio iv.

HIlarem video cœtum Sanctorum omnium, qui convenerunt prõptis animis à Sancta, & Dei Matre Maria ſemper Virgine convocati. Laus, & gloria ſit tibi Sancta Trinitas, quæ omnes nos ad hanc celebritatem convocaſti. Sit etiam tibi Sancta Dei Mater laus. Tu enim pretioſa margarita orbis terrarum: tu lampas inextinguibilis, corona virginitatis, ſceptrum orthodoxæ fidei, templum indiſſolubile continens eum, qui nuſquam contineri poteſt, mater, & virgo, per quam benedictus qui venit in nomine Domini in Sãctis Euangeliis nominatur.

℟. Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles:* Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum.

℣. Exultavit ut gigas ad currendam viam, à ſummo Cœlo egreſſio ejus. Similis eſt.

Lectio v.

PEr te Trinitas ſanctificatur, per te Crux pretioſa celebratur, & adoratur in toto

Digitized by Google

toto orbe terrarum. Per te exultat Cœlum, lætantur Angeli, & Archangeli, fugantur dæmones, & homo ipſe ad Cœlum revocatur. Per te omnis creatura idolorum errore detenta converſa eſt ad agnitionem veritatis, & fideles homines ad ſanctum Baptiſma pervenerunt, atque in toto orbe terrarum conſtructæ ſunt Eccleſiæ.

℞. Cõgratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum eſſem parvula placui Altiſſimo, * Et de meis viſceribus genui Deum, & hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem reſpexit Deus. Et de meis.

Lectio vi.

TE adjutrice, gentes veniunt ad pœnitentiam. Quid plura? Per te unigenitus Dei filius, vera illa lux effulſit ſedẽtibus in tenebris, & umbra mortis. Per te Prophetæ prænunciarunt, per te Apoſtoli ſalutẽ gentibus prędicarunt. Quisnam poterit tuarum laudum præconia explicare Maria Mater, & Virgo? Hanc fratres dilectiſſimi celebremus, ejus Filium Eccleſiæ Sponſum immaculatũ adorantes, cui honor, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

℞. Beata, quæ credidiſti, quoniam perficientur in te, quæ dicta ſunt tibi à Domino. Et ait Maria: * Magnificat anima mea Dominum.

℣. Venite, & audite, & narrabo, quanta fecit Deus animæ meæ. Magnificat. Gloria Patri. Magnificat.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 1.

IN illo tempore: Exurgens Maria abiit in montana cum feſtinatione in civitatem Juda: & intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth. Et reliqua.

Homilſa Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Ex com. in Lucam; lib. 1. cap. 1.

NOtandum, quanta Eliſabeth animum gratia, Maria intrante, ditavit, quem ſimul de præterito, præſenti, atque futuro per prophetiæ ſpiritum illuſtravit. Dicens enim: Beata quæ credidiſti, apertè indicat, quia verba Angeli, quæ dicta ad Mariam fuerant, per ſpiritum agnovit. Atque ſubjungens: Perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino: quæ etiam eam in futuro ſequerentur prævidit. Matrem verò Domini ſui nominans, quia Redemptorem humani generis in utero portaret, intellexit.

℞. Bea-

Digitized by Google

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.

℣. Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit.

Lectio viij.

Ex Homilia ejuſdem.

ET quia per temeritatem ſeductæ mulieris mors in mundum introjerat, congruum fuerat, ut in indicium vitæ revertentis, mulieres ſe devotæ humilitatis invicem, ac pietatis prævenirent obſequiis. Prior ergo nobis Beata Dei Genitrix ad ſublimitatē patriç cœleſtis iter oſtendit humilitatis, non minus religionis, quàm caſtitatis exēplo venerabilis. Siquidem gloria virginei, & intemerati corporis, qualis ſit vita ſupernæ Civitatis, ad quam ſuſpiramus, inſinuat. Quis enim neſciat, Virginem Deo conſecratam, muliere Deo dedita gradum habere potiorem? Quis dubitet, Matrem Regis æterni, jure matri militis prçferendam.

℟. Felix namque es sacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima,* Quia ex te ortus eſt Sol juſtitiæ * Chriſtus Deus noſter.

℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam ſanctam Viſitationem. Quia. Gloria. Chriſtus.

Lectio ix.

INtrat ergo domum Zachariæ, atque Eliſabeth, quā ſervum, ac Præcurſorem Domini parituram noverat, ſalutat, non quaſi dubia de oraculo, quod acceperat, ſed ut congratulatura de dono, quod conſervam accepiſſe didicerat; non ut Verbum Angeli mulieris atteſtatione probaret, ſed ut mulieri provectæ ætatis virgo juvencula miniſterium ſedula impenderet. Aperiente os ad ſalutandum Beata Maria, repleta eſt mox Spiritu Sancto Eliſabeth, repletus eſt & Joannes. Aderat namque tempus, quo impleretur Angeli ſermo, quem dixerat: Quia Spiritu Sancto replebitur adhuc in utero matris ſuæ. Te Deum.

Ad Laudes, & per Horas

Antiphona.

Exurgens Maria abiit in montana cum feſtinatione in Civitatem Juda. *Pſalm.* Dominus regnavit *cum reliquis de Dominica.*

Ant. Intravit Maria in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth.

Ant. Ut audivit ſalutationē Mariæ Eliſabeth, exultavit

 infans

Digitized by Google

infans in utero ejus, & repleta eſt Spiritu Sancto. Alleluja.

Ant. Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.

Ant. Ex quo facta eſt vox ſalutationis tuę in auribus meis, exultavit infans in utero meo. Alleluja.

Capitulum.

Ab initio, & ante ſecula, creata ſum, & uſque ad futurum ſeculum non deſinam, & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtravi.

Hymnus.

O glorioſa, *ut infra.*

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Ad Benedictus Ant.

Cum audiſſet ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exclamavit voce magna, & dixit: Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Alleluja.

Oratio.

FAmulis tuis, quæſumus Domine, cœleſtis gratiæ munus impertire: ut quibus Beatæ Virginis partus extitit ſalutis exordium, Viſitationis ejus votiva ſolemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum.

In Veſp. à cap. de ſeq. commemor. præced.

Die VIII. Julii.

Officium fit de Sancta Eliſabeth Regina Portugalliæ. Semidup. ut in Breviario cum commemor. oct. Veſp. de die octav. ut in primis veſp. feſti, commem. præced.

Die IX. Julii.

Octava Viſitationis B. Mariæ Virginis. Duplex.

In Primo Nocturno Lectiones de ſcriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

De expoſitione S. Gregorii Papæ in Libros Regum.

In 1. Regum 1. Lectio iv.

FUit vir unus de Ramathaim Sophim de monte Ephraim. Poteſt hujus montis nomine Beatiſſima ſemper Virgo Maria Dei Genitrix deſignari. Mons quippè fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis ſuæ dignitate tranſcendit: An non mons ſublimis Maria, quæ ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem ſupra omnes Angelorum choros uſque ad ſolium Deitatis erexit? Hujus enim montis præcellentiſſimā dignitatem Iſaías vaticinans, ait: Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippè in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ ſupra omnes Sanctos refulſit.

℟. Ecce iſte venit ſaliens in mon-

Digitized by Google

montibus, tranſiliens colles:* Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum.

℣. Exultavit ut gigas ad currendam viam, à ſummo cœlo egreſſio ejus. Similis.

Ex Epiſtola S. Leonis Papæ ad Pulcheriam Auguſtam.

Epiſtola 13. ante medium.

Lectio v.

Sacramentum reconciliationis noſtræ ante tempora æterna diſpoſitum nullæ implebant figuræ: quia nondum ſupervenerat Spiritus Sanctus in Virginem, nec virtus Altiſſimi obũbraverat ei: ut & intra intemerata viſcera, ædificante ſibi Sapientia domum, Verbum caro fieret, & forma Dei, ac forma ſervi in unam conveniente perſonam, Creator temporum naſceretur in tempore, & per quem facta ſunt omnia, ipſe inter omnia gigneretur. Niſi enim novus homo factus in ſimilitudinem carnis peccati noſtram ſuſciperet vetuſtatẽ, & conſubſtantialis Patri, conſubſtantialis eſſe dignaretur & Matri, naturamque ſibi noſtram ſolus à peccato liber uniret; ſub jugo diaboli generaliter teneretur humana captivitas.

℟. Cõgratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum eſſem parvula placui Altiſſimo: * Et de meis viſceribus genui Deum, & hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem reſpexit Deus. Et de meis.

De expoſitione S. Baſilii Epiſcopi in Iſaiam Prophetam.

In cap. 8. poſt initium.

Lectio vi.

Acceſſi, inquit, ad Prophetiſſam, & in utero accepit, & peperit filium. Quòd Maria Prophetiſſa fuerit, ad quam proximè acceſſit Iſaias per prænotionem ſpiritus, nemo contradixerit, qui ſit memor verborum Mariæ, quæ prophetico afflata ſpiritu eloquuta eſt. Quid enim ait? Magnificat anima mea Dominum: Et exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quod ſi animum accõmodaveris univerſis ejus verbis; non utique per diſſidium negaveris, eam fuiſſe Prophetiſſam, quòd Domini ſpiritus in eam ſupervenerit, & virtus Altiſſimi obumbraverit ei.

℟. Beata, quæ credidiſti, quoniam perficientur in te, quæ dicta ſunt tibi à Domino: Et ait Maria: * Magnificat anima mea Dominum.

℣. Venite, & audite, & nar-

Digitized by Google

rabo quanta fecit Deus animæ meæ. Magnificat. Gloria. Magnificat.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Lucam.

Lectio vij.

IN illo tempore: Exurgens Maria, abiit in montana cum feſtinatione, in civitatem Juda: & intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth. Et reliqua.

Homilía S. Bernardi Abbatis.

De verb. Apoc. cap. 12. circa fin.

MIrabatur Eliſabeth perſonam venientis dicens: Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Commendabat & vocem ſalutantis adjiciens: Ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Et beatificabat fidem credentis: Beata, inquiens, quæ credidiſti. Magna quidem præconia; ſed & devota humilitas nihil ſibi paſſa retinére, in eum magis univerſa refúdit, cujus in ſe beneficia laudabantur.

℟. Beatam me dicent omnes generationes:* Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.

℣. Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit.

Lectio viij.

TU (inquit) magnificas Matrem Domini: ſed magnificat anima mea Dominum. In vóce mea filium perhibes exultaſſe in gaudio: ſed exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Et ipſe quoque tanquā amicus Sponſi gaudio gaudet ad vocem Sponſi. Beatam eſſe dicis, quæ crediſſet, ſed credulitatis, & beatitudinis cauſa reſpectus eſt ſupernæ pietatis, ut ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes, quia ancillam humilem, & exiguam reſpexit Deus.

℟. Felix namque es Sacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima,* Quia ex te ortus eſt Sol juſtitiæ * Chriſtus Deus noſter.

℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam ſanctam Viſitationem. Quia. Gloria. Chriſtus.

Lectio ix.

VErumtamen, numquid putamus fratres, Eliſabeth ſanctam, in eo, quod per ſpiritum utique loquebatur, erraſſe? Abſit. Beata planè, quam reſpexit Deus, & beata, quæ credidit. Hic enim magnus divinæ reſpectionis extitit fructus. Ineffabili ſi-

qui-

Digitized by Google

quidem artificio ſpiritus ſupervenientis, tantę humilitati magnanimitas tanta in ſecretario virginei cordis acceſſit, ut hę quoque nihilominus ſint ſtellæ ex reſpectu mutuo clariores, quod, videlicet, nec humilitas tãta minuit magnanimitatem, nec magnanimitas tanta humilitatem. Sed cum in ſua æſtimatione tam humilis eſſet, nihilominus, & in promiſſionis credulitate magnanimis; ut quæ nihil aliud quam exiguam ſeſe reputabat ancillam, ad incomprehenſibile hoc myſterium, ad admirabile commercium, ad inſcrutabile Sacramentum nullatenus ſe dubitaret electam, & veram Dei, & hominis genitricem crederet mox futuram. Te Deum laudamus.

FESTA AUGUSTI.

Die XXIII.

In Feſto

SANCTI P. N. PHILIPPI Conf. Dup. ſecundæ Claſſ. cum octava.

Ad Veſp. Ant. Dilectus Deo, *cum reliq. de Laud. Pſal.* Dixit Dominus *cum reliq. de Dom. & loco ultimi pſalmi.* Credidi.

Capitulum. *Eccl.* 45.

Dilectus Deo, & hominibus, cujus memoria in benedictione eſt, ſimilem illum fecit in gloria Sanctorum, & magnificavit eum in timore inimicorum, & in verbis ſuis monſtra placavit.

Hymnus.

O Dive, qui das inclytum
Nomẽ Mariæ Servulis,
Dum matris hauris ubera,
Infunde Cœli gaudia.
Cœleſti adhærens currui,
Quem Agnus, Leoq; devehit,
Dilectus altam Virginis,
Ad ſervitutem convolas.
Tibi nitorem nominis
Debent Mariæ Servuli,
Sancti per Orbem Spiritus,
Dum ſpargis ignes igneus.
Tuſcas recuſas Infulas,
Petrique claves reſpuis;
De rupe montis incita,
Salutis undas elicis.
Servi fideles Virgini
Servíte cum Benitio;
Cœli bonorum copiam,
Affert Mariæ ſervitus.
Præſta Beata Trinitas
Pronis Mariæ Servulis,
Ut affluamus gaudiis,
Quibus Philippus affluit.
Amen.

℣. Ora pro nobis Beate Pater Philippe.

℞. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Ad Magnificat Antiphona.

Hodie Beatus Philippus introivit in potentias Domini, ſimilis factus in gloria Sanctorum: Hodie tenebrarum principe triumphato in Cœlum victor aſcendit: Hodie Servus de manu Domini ſuſcé-

Digitized by Google

ſcépit coronam de lapide pretioſo.

Oratio.

DEus fidelium Servorum Dominator, & Cuſtos, qui per Beatum Philippum Servorum Mariæ honorabile nomen illuſtraſti, concede nobis famulis tuis, ut ejus patrocinio, ſic tibi, tuæque Genitrici ſerviamus in terris, ut regnare cum ipſo mereamur in Cœlis. Qui vivis, & regnas.

Deindè fit còm. dici oct. Aſſumpt.

Antiph.

Hodie Maria Virgo Cœlos aſcendit: gaudete, quia cum Chriſto regnat in æternum.

℣. Exaltata eſt Sancta Dei Genitrix.

℟. Super Choros Angelorum ad cœleſtia regna.

Oratio.

FAmulorum tuorum, quæſumus, Domine, delictis ignoſce: ut qui tibi placére de actibus noſtris non valemus, Genitricis Filii tui Domini noſtri interceſſione ſalvemur. Per eumdem.

Ad Matutinum Invitatorium.

Regem Regum, & Mariæ Servorum Dominum, * Venite adoremus. *Pſalm.* Venite.

Hymnus.

PEr te Philippe promicant
Ubſque tot miracula,
Æger ſaluti redditur,
Qui te Patronum poſtulat.
Putris fluenta ſanguinis,
Immunda lepræ fœmina,
Te morbus omnis vindice,
Inferre mortem deſinit.
Lupi voratum faucibus,
Vitæ rédonas parvulum,
Te gibbus, & fames canunt,
Languorque, & atra cæcitas.
Te facta Sanctum prædicant,
Ad Orbis uſque limites,
Te flexo adorat poplite
Civem ſuum Florentia.
Vos, ò Tudertes, plaudite,
Quos protegit Benitius,
Suique dono Corporis
Feliciores efficit.
Præſta Beata Trinitas,
Pronis Mariæ Servulis,
Ut affluamus gaudiis,
Quibus Philippus affluit.
Amen.

In Primo Nocturno.

Ant. Beatus vir Philippus accedens ad ſervitutem Virginis Mariæ ſtetit in juſtitia, & in lege Domini fuit voluntas ejus die, ac nocte. *Pſalm.* Beatus vir, qui non. *Cum reliquis de Commun. Confeſſ.*

Ant. Apparuit ei Domina Angelorum, & dilexit eum in viſione, & in agnitione magnalium ſuorum. *Pſal.* Quare frem.

Ant. Tu es gloria mea, tu es ſuſceptor meus, Domine, tu exaltans ſervum ad confitendum nomini tuo in ſecula. *Pſalm.* Domine quid.

℣. Ego ſervus tuus.

℟. Et filius Ancillæ tuæ.

De

Digitized by Google

De libro Eccleſiaſtici.

Lectio j. *Cap.* 44.

LAudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia ſua à ſeculo. Dominantes in poteſtatibus ſuis, homines magni virtute, & prudentia ſua præditi, nuntiantes in Prophetis dignitatem Prophetarum, & imperantes in præſenti populo, & virtute prudentiæ populis ſanctiſſima verba. In peritia ſua requirentes modos muſicos, & narrantes carmina ſcripturarum.

℟. Floréte flores, quaſi lilium date odorem, collaudate canticis, * Et benedicite Dominum in ſervis ſuis.

℣. Philippus in terris exemplum, in Cœlis eſt patrocinium. Et benedicite.

Lectio ij.

HOmines divites in virtute, pulchritudinis ſtudium habentes: pacificantes in domibus ſuis. Omnes iſti in generationibus gentis ſuæ gloriam adepti ſunt, & in diebus ſuis habentur in laudibus. Qui de illis nati ſunt reliquerunt nomen narrādi laudes eorum: & ſunt, quorum non eſt memoria; perierunt, quaſi qui non fuerint: & nati ſunt, quaſi non nati, & filii ipſorum cum ipſis.

℟. Juſtus germinabit ſicut lilium, * Et florebit in æternum ante Dominum.

℣. Plantatus in domo Domini, & in atriis Genitricis Dei noſtri. Et.

Lectio iij.

SEd illi viri miſericordiæ ſunt, quorum pietates nō defuerunt: cum ſemine eorum permanent bona, hæreditas ſancta nepotes eorum, & in teſtamentis ſtetit ſemen eorum: & filii eorum propter illos uſque in æternum manent: ſemen eorum, & gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipſorum in pace ſepulta ſunt, & nomen eorum vivit in generationem, & generationem: ſapientiam ipſorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Eccleſia.

℟. In humilitate ſua placuit Deo, fecit mirabilia magna: * Et inventus eſt in numero Sanctorum.

℣. Iſte eſt, qui contempſit Regnum mundi, & pervénit ad Cœleſtia Regna. Et inventus. Gloria. Et inventus.

In Secundo Nocturno.

Ant. Invocantem exaudivit Dominus ſervum ſuum ſuper puerum, quem ſuſcitavit à mortuis. *Pſal.* Cum invocarem.

Ant. Immiſit ignem furóris ſui Dominus nomen Dei blaſphemantibus, ſicut prædixe-

Digitized by Google

rat ſervus ejus Philippus.

Pſal. Verba.

Ant. Manebit in ſecula memoria tua, quia adjuviſti pauperem de inopia, & fratres tuos ſaturaſti panibus. *Pſalm.* Domine.

℣. Juſtus germinabit ſicut lilium.

℟. Et florebit in æternum ante Dominum.

Lectio iv.

PHilippus ex illuſtri Benitiorum familia Florentiæ natus anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo tertio, quo pariter exortus eſt Ordo Servorum Beatiſſimæ Virginis Mariæ, cum vix quintum ætatis menſem attigiſſet, linguam in voces mirificè ſolvit, hortatus matrem, ut eleemoſynam præberet Servis Deiparæ. In eam familiam prodigioſa Divinæ Matris viſione adoleſcens invitatus, licèt nobilitate, ac doctrina præclarus, inter laicos fratres adſcribi voluit, & aliquandiù in antro Senarii Montis Cœleſtem vitam egit; ubi eo flente rupes uberi fonte manavit. Sed cum eximia ipſius ſapiëtia latére non poſſet, juſſus eſt ad Sacrum Altare accedere, ejusque primum Sacrificium cantus Angelici decorárunt. Brevi ſui Ordinis Prior Generalis fruſtrà repugnans renunciatus, eidem Sanctiſſimas regulas dedit, eumque difficillimis temporibus per annos octodecim per Chriſtianum Orbem propagavit; ut non ſolùm illius Legiſlator, & Amplificator, ſed alter penè Fundator exiſtimari poſſit.

℟. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodivit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutavit illum, * Cum percuſſorem convertit.

℣. In tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio. Cum.

Lectio v.

PLurimos utriusque ſexus ſanctitate conſpicuos in Servorum Ordinem excepit. Per univerſam ferè Europam, & Aſiæ partem, quam Apoſtolicis prædicationibus obivit, inſtituit ſodalitia Septem Dolorum Beatiſſimæ Virginis, & parvum illius habitum innumeris viris, ac fœminis, magnisque Principibus diſtribuit. Embdam uſque Orientalis Friſiæ Urbem martyrii deſiderio penetravit. In plurimis Italiæ Urbibus civiles diſcordias compeſcuit, alias ad obedientiam Eccleſiæ revocavit, ob quam verbera ad mortem uſque aliquando perpeſſus eſt. Pacavit Germaniam à magnis exercitibus vaſtatam, ducto Bohemiæ Rege ad obſequium Rodulpho Cæſari exhibendum; ac tantùm ubiq; gentium Divini Amoris

Digitized by Google

ris incendium excitavit, ut mater ante illius puerperium, non abs re, viſa ſibi fuerit parere flammam, quæ univerſum terrarum Orbem incenderet. Fratres ſuos in Tartariam ad prædicandum Euangeliū miſit, in qua Regione, ſicut etiam apud alias barbaras gētes, Ordo Servorum B. Mariæ Virginis plurimos Chriſto peperit filios. In Concilio Lugdunenſi Romanam Eccleſiam præclarè eloquentia, & doctrina propugnavit. Magno in pretio habitus eſt à Summis Pontificibus, ac traditus Legatis Apoſtolicis, ut admonitor, & arbiter conſiliorum.

℟. Amavit eum Regina Cœlorum, * Et inſignibus Dolorum ſuorum ornavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei. Et inſignibus.

Lectio vi.

Viterbii, poſt mortem Clementis Quarti oblatum ſibi Summum Pontificatum conſtantiſſimè recuſavit, & in ſolitudinem fugit, ubi, baculo, ut olim Moſes, à rupe fontem eduxit. Lepro ſo, cui laneum ſuum induſium donavit, illicò ſanitatem reſtituit. Ignem è Cœlo ſupra impuros, & blaſphémos graſſatores evocavit. Ab Angelis ex implexa ſylva eductus eſt, & ab iiſdem non ſemel cœleſti cibo recreatus. Propheticę lumine paſſim afflatus. Virginitatis dono illuſtris, quod, inflictis ſibi voluntariis ſuppliciis, & incredibili carnis maceratione, cuſtodivit. Non ſolùm in cellula, ſed etiā in frequentibus Templis coram populo in extaſim rapi conſuevit. Denique Tuderti, quam Urbem ſummoperè adamavit, quodam quaſi triſtipho exceptus, ibidem in Cœlum vocatus Angelorum vocibus, anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo quinto, ætatis ſuæ quinquageſimo ſecundo, ſanctiſſimè obiit in complexu Chriſti Crucifixi, quem ſuum librnm appellabat, ex quo diſcuntur arcana omnia Sapientiæ Divinæ; illumque innumeris ante; & poſt obitum miraculis coruſcantem, & optimè de Chriſtiana Republica meritum, Clemens Decimus Pontifex Maximus in Sanctorum numerum retulit.

℟. Iſte homo perfecit omnia, quæ locutus eſt ei Deus, & dixit ad eum: Vade ad Senarium montem Myrrhæ, * Et docebo te vias meas.

℣. Veni ad montem Domini, & ad domum Genitricis meæ. Et docebo. Gloria Patri. Et docebo.

In Tertio Nocturno.

Ant. Ad nihilum deductus eſt

Digitized by Google

eſt in conſpectu ejus maligmus', timentes autem Dominum glorificat. *Pſal.* Domine quis.

Ant. In terra deſerta, invia, & inaquoſa nutriviſti Servũ tuum Domine, & præveniſti eum in benedictionibus dulcedinis. *Pſal.* Domine in virtute.

Ant. Accipiens miſericordiã à Deo ſalutari ſuo, dixit: Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. *Pſal.* Domini eſt terra.

℣. Serve bone, & fidelis.

℟. Intra in gaudium Domini tui.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 11.

IN illo tempore: Reſpondens Jeſus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine Cœli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia Sancti Auguſtini Epiſcopi.

Serm. 10. *de verb. Domini.*

VEnite ad me omnes, qui laboratis. Quare enim omnes laboramus, niſi quia ſumus homines mortales, fragiles, infirmi, lutea vaſa portantes, quæ faciunt invicem anguſtias? Sed ſi anguſtiantur vaſa carnis, dilatentur ſpatia charitatis. Quid ergo dicit: Venite ad me omnes, qui laboratis, niſi ut non laboretis? Denique promiſſio ejus in promptu eſt, quoniam laborantes vocavit. Quærent fortè, qua mercede vocati ſunt. Et ego vos, inquit, reficiam. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, non mundum fabricare, non cuncta viſibilia, & inviſibilia creare, non in ipſo mundo mirabilia facere, & mortuos ſuſcitare; ſed, quoniam mitis ſum, & humilis corde.

℟. Vidit contradictionem in Civitate, bella, & ſeditiones audivit, * Et fecit pacem in virtute ſua.

℣. Viri ſanguinum tota die conſtituebant prælia. Et fecit.

Lectio viij.

MAgnus eſſe vis? A minimo incipe. Cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis? De fundamento priùs cogita humilitatis. Et quantam quisque vult, & diſpónit ſuperimponere molem ædificii, quantò erit majus ædificium, tantò altiùs fodit fundamentum. Et fabrica quidem, cum conſtruitur in ſuperna conſurgit: qui autem fodit fundamentum, ad ima deprimitur. Ergo, & fabrica ante celſitudinem humiliatur, & faſtigium poſt humiliationem erigitur.

℟. Nunc

Digitized by Google

℟. Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundùm verbum tuum in pace: * Quia viderunt oculi mei Genitricem Domini.
℣. Lætifica animam Servi tui, quia ad te, Domine, animam meam levavi. Quia. Gloria. Quia.

Lect. ix. de Vigilia S. Bartholomæi Apoſt. ubi ejus feſtum celebratur ſequenti die. Si verò feſtum S. Philippi venerit in Dominica, tunc ix. Lectio erit de Homilia Dominicæ, & Homilia de Vigilia ponetur Sabbato antecedenti.

Benedictio. Per Euangelica dicta deleâtur noſtra delicta.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Joannem.

Lectio ix. Cap. 15. 6.

IN illo tempore: dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ.

Homil. 27. in Euang.

CUm cuncta ſacra eloquia Dominicis plena ſint præceptis, quid eſt, quod de dilectione, quaſi de ſingulari mandato Dominus dicit: Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, niſi quia omne mandatum de ſola dilectione eſt: & omnia unum præceptū ſunt? quia quidquid præcipitur, in ſola charitate ſolidatur. Ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt: ſic multæ virtutes ex una charitate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non manet in radice charitatis. Te Deum.

Ubi autem feſtum S. Bartholomæi celebratur die 25., ix. Lect. erit ſequens. Lectio ix.

QUod eſt faſtigium conſtruendæ fabricæ, quam molímur? Quò perventurum eſt cacúmen ædificii? Citò dico: uſque ad cōſpectum Dei. Vidétis quam excelſum eſt, quanta res eſt conſpicere Deum. Qui deſiderat, & quod dico, & quod audit, intelligit. Promittitur nobis conſpectus Dei, veri Dei, ſummi Dei. Hoc enim bonum eſt videntem vidére. Nam qui colunt falſos Deos, facilè illos vident: ſed eos vident, qui oculos habent, & non vident. Nobis autem promittitur viſio Dei viventis, & videntis. Te Deum.

Ad Laudes, & per Horas.

Ant. Dilectus Deo, & hominibus Philippus audivit vocem Mariæ, quæ dedit illi legem vitæ, & diſciplinæ. *Pſal.* Dominus regnavit, &c. *cum reliquis de Laudibus.*

Ant. Maria Virgo ad Philippum dixit: Philippe accéde, & adjunge te ad currum iſtum.

Ant.

Digitized by Google

Ant. Fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiã Matris ſuæ.

Ant. Benedicite Servi Domini Domino: Benedicite Sancti, & humiles corde Domino.

Ant. O Domine, quia ego ſervus tuus; Ego ſervus tuus, & filius Ancillæ tuæ.

Capitulum. *Eccl.45.*

Dilectus Deo, & hominibus, cujus memoria in benedictione eſt, ſimilem illum fecit in gloria Sanctorum, & magnificavit eum in timore inimicorum, & in verbis ſuis monſtra placavit.

Hymnus.

Tellus, & Aſtra dicite,
Cor Virginis Benitium,
Parentis alvo conditum,
Quem flamma ſignat prævia.
Vix natus Orbem deſerit,
Crucíque conſtans militat;
Quæ non patravit crimina,
Fletu perenni diluit.
Primam ſalutis victimam
Deo Sacerdos immolat,
Feſtiſque læti vocibus,
Plaudunt canentes Angeli.
Chriſtum ſalutis vindicem,
Morti propinquus expetit,
Ejuſque libans vulnera
Vitæ ſubivit Hoſtia.
Præſta Beata Trinitas,
Pronis Mariæ Servulis,
Ut affluamus gaudiis,
Quibus Philippus affluit.
Amen.

℣. Ora pro nobis Beate Pater Philippe.

℞. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Ad Benedictus Antiphona.

Percuſſit petram, & fluxerunt aquæ de fontibus Salvatoris.

Oratio.

Deus fidelium Servorum Dominator, & Cuſtos, qui per Beatum Philippum Servorum Mariæ honorabile nomen illuſtraſti; concede nobis famulis tuis, ut ejus patrocinio, ſic tibi, tuæque Genitrici ſerviamus in terris, ut regnare cum ipſo mereamur in Cœlis. Qui vivis, & regnas, &c.

Ubi feſtum S. Bartholomæi celebratur die 24. fiet commemor. Vigiliæ, ut in Breviar.

Ad Tertiam Ant. Maria Virgo, &c. *Capitulum.* Dilectus Deo, &c. *ut ſupra in Laudibus.*

℞. Amavit eum Dominus, * Et ornavit eum. Amavit.

℣. Stolam gloriæ induit eũ. Et ornavit. Gloria. Amavit.

℣. Os juſti meditabitur ſapientiam.

℞. Et lingua ejus loquétur judicium.

Ad Sextam Ant. Fidelis ſervus.

Capitulum. *Eccl.45.*

Glorificavit eum in conſpectu Regum, & juſſit illi corã populo ſuo, in fide, & lenita-

te

Digitized by Google

te ipſius Sanctum fecit illum.

℟. Os juſti * Meditabitur ſapientiam. Os juſti.

℣. Et lingua ejus loquétur judicium. Meditabitur. Gloria Patri. Os juſti.

℣. Lex Dei ejus in corde ipſius.

℟. Et non ſupplantabuntur greſſus ejus.

Ad Nonam Ant. O Domine.

Capitulum. Eccl. 45.

Audivit enim eum, & vocem ipſius, & induxit illum in nubem, & dedit illi coram præcepta, & legem vitæ, & diſciplinæ.

℟. Lex Dei ejus * In corde ipſius. Lex Dei.

℣. Et non ſupplantabuntur greſſus ejus. In corde. Gloria Patri. Lex Dei.

℣. Juſtum deduxit Dominus per vias rectas.

℟. Et oſtendit illi Regnum Dei.

In Secundis Veſperis.

Omnia de Sancto Bartholomæo Apoſtolo, ut in Breviario. Pro commem. Sancti Philippi Ant.

O glorioſiſſime fili Reginæ Angelorum, ò excelſum Servorum decus nos tuos filios reſpice, & apud Deum pro nobis intercede.

℣. Ora pro nobis Beate Pater Philippe.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oratio.

Deus fidelium Servorum Dominator, & Cuſtos, qui per Beatum Philippum Servorum Mariæ honorabile nomen illuſtraſti; concede nobis famulis tuis, ut ejus patrocinio, ſic tibi, tuæque Genitrici ſerviamus in terris, ut regnare cum ipſo mereamur in Cœlis. Qui vivis.

Romæ verò, ubi feſtum Sancti Bartholomæi celebratur die 25. *in ſecundis Veſperis totum officium erit de Sancto Philippo, ut in primis Veſp. Ant. ad Magnif.* O glorioſiſſime, *ut ſupra.*

Die XXIV. Auguſti.

Secunda die infra octavam officium ſit de Sancto Bartholomæo Apoſtolo abſque comm. octavæ. In ſecundis Veſp. fit commemor. Sancti Ludovici Regis Francorum. Ubi verò prædictum officium Sancti Bartholomæi fit ſequenti die, hodie fiet officium, ut ſequitur.

De ſecunda die infra octavam Sancti Philippi. Semidup. Omnia, ut ſupra, excep. Lection.

In Primo Nocturno.

Lectiones de Script. occurr.

In Secundo Nocturno.

Lectio iv.

Plurimum debet B. Philippo Ordo Servorum, cui adhuc infans, quintum ætatis menſem non egreſſus, magnam famam cōciliavit inſigni prodigio, linguam ſolvens

Digitized by Google

vens in ejus laudem. Ejusdem Tyrónes ſanctiſſime inſtituit, cum adhuc inter Laicós Fratres ageret vitam, & novitiorum leges eo tempore ſcripſit perpetuò deinde ſervatas. Cum plures ex Beatis Fundatoribus adhuc viverent, coactus ipſe, ætatis ſuæ anno trigeſimo quarto, Supremum Generalis Prioris munus ſubíre, mirificè Ordinem amplificavit. Cumque, ſumma apud omnes gratia, & admiratione, floréret, ipſius cauſa plurima huic Sacræ Familiæ domicilia excitata ſunt: in iis præſertim regionibus, quas ipſe peragravit, videlicet in Italia, Gallia, Belgio, Germania, & Polonia, ac jam tum decem Religioſorum virorum millia numerabantur. A Romanis Pontificibus ſuum Ordinem confirmari curavit, & gloria recuſati à Philippo Pōtificatus, & eximia ſapientia ab ipſo exhibita in Concilio Lugdunenſi, ad quod vocatus eſt ſimul cum Sanctis Thoma Aquinate, Bonaventura, & beato Alberto Magno, mirum in modum auxit Ordinis famam; In quo Concilio, ut plurimi hiſtorici narrant, lingua Græca, Hebraica, Gallica, Germanica, & Hiſpanica divinitus instructus apparuit.

℟. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodivit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutavit illum, * Cum percuſſorem convertit.

℣. In tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio. Cum percuſſorem.

Lectio v.

Unum ex præcipuis beneficiis Familiæ Servorum à Sancto Philippo collatis, fuit cultus Beatiſſimæ Virginis ab illo mirificè auctus. Sacra ille in Cœlum Aſſumptæ die exortus eſt, ejusque feſti octava occubuit. Innumera colentium Septem Dolores mœſtiſſimæ Parentis Divinę Sodalitia inſtituit. Non ſolùm plurimos Principes in primum Ordinem excépit, ſed in tertium etiam ipſum Rodulphum Cæſarem. Eadem Deipara plurimos adoleſcentes, qui deindè ſanctitate clari evaſerunt, admonuit, ut à Philippo ſervorum ſuorum habitum peterent; inter quos præcipui fuerunt, Beatus Joachímus Senenſis, & Beatus Peregrinus Foroliviensis, qui, Beniamin, doloris filius, à Philippo dici potuit; Cum enim ab eodem Peregrino alapa ipſi fuiſſet impacta, pro illo, ut Stephanus, Deum orans, vidit illico ante ſuos pedes Juvenem procumbentem.

℟. Amavit eum Regina Cœlorum, * Et inſignibus dolorum ſuorum ornavit eum.

℟. In-

Digitized by Google

℣. Induit eum Dominus loricam fidei. Et inſignibus.

Lectio vi.

NEque ſolùm Sacra hæc Familia, ſed univerſa Eccleſia, plurimum à Philippo emolumentum accépit. Mirabilis erat auctor pacis; Cumque eo tempore flagrarent per Italiam diſcordiæ, illas Piſtorii, Senis, Bononiæ, Florentiæ, & in pluribus aliis Urbibus extinxit. Bonaventuræ Bonaccurſio factionis Ghibellinæ, & Ubaldo Adimariæ Familiæ Principi, ſtudium pacis, & religioſæ vitæ infúdit. Forolivienſes, alioſque populos ad obedientiam Summi Pontificis revocavit; alicubi lapidibus appetítus, ac fuſtibus, pro Apoſtolica Sede contúſus. Summo ſtudio laboravit, ut Chriſtianos Principes induceret ad fœdus ineundum contra hoſtes fidei. Incredibile pœnitentiæ ſtudium in ſceleſtis hominibus propè innumeris excitavit, præcipuè in illis, qui à communione fidelium exclúſi erant, eo quòd impium Friderſcū Cæſarem ſequuti fuiſſent, Malleus fuit Hæreticorum, contra quos, ac præcipuè Flagellantes in Concilio Lugdunenſi, & per Galliam, ac Germaniam pugnavit, innumeroſque deindè Chriſtianam fidem edocuit per filios ſuos, qui ab eodem in Tartariam miſſi ſparſi ſunt per univerſam Aſiam, & Africam; adeòut conſequentibus ſeculis, Æthiopes Florentiam accedentes, ſtatim quærere, & venerari conſueverint paternam Philippi domum, velut Patris fidei ſuæ.

℟. Iſte homo perfécit omnia, quæ locutus eſt ei Deus, & dixit ad eum: Vade ad Senarium montem Myrrhæ, * Et docebo te vias meas.

℣. Veni ad montem Domini, & ad domum Genitricis meæ, Et docebo. Gloria Patri. Et docebo.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 11.*

IN illo tempore: Reſpondens Jeſus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine Cœli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia Sancti Auguſtini Epiſcopi.

Serm. 8. de Verbis Domini.

AUdi Dominum confitentem: Confiteor tibi Pater, Domine Cœli, & Terræ. Quid confiteor? In quo te laudo? Hæc enim confeſſio, ut dixi, laudem habet. Quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti

ea

ea parvulis. Quid eſt hoc Fratres? A contrario ſenſu intelligite. Abſcondiſti hæc, inquit, à Sapientibus, & Prudentibus; & non dixit, Revelaſti ea ſtultis, & imprudentibus, ſed ait: Et revelaſti ea parvulis. Sapientibus, & Prudentibus irridendis, arrogantibus falsò grandibus, verè autem tumentibus, oppoſuit non inſipientes, non imprudentes, ſed parvulos.

℟. Vidit contradictionem in Civitate, Bella, & Seditiones audivit, * Et fecit pacem in virtute ſua.

℣. Viri ſanguinum tota die conſtituebant prælia. Et fecit.

Lectio viij.

QUi ſunt Parvuli? Humiles. Ergo abſcondiſti hæc à Sapientibus, & Prudentibus. Nomine ſapientium, & prudentium, ſuperbos intelligi, ipſe expoſuit, cum ait: Revelaſti ea parvulis. Ergo abſcondiſti non parvulis. Quid eſt non parvulis? Non humilibus. Quid eſt non humilibus, niſi ſuperbis? O' via Domini! Aut non erat aut latebat, ut revelaretur nobis. Unde Dominus exultavit? Quia revelatum eſt parvulis. Debemus eſſe parvuli; nam ſi voluerimus eſſe magni, quaſi ſapientes, & prudentes, non nobis illud revelatur.

℟. Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum in pace: * Quia viderunt oculi mei Genitricem Domini.

℣. Lætifica Animam ſervi tui, quia ad te, Domine, Animam meam levavi. Quia viderunt. Gloria Patri. Quia viderunt.

Lectio ix.

QUi ſunt magni? Sapientes, & Prudentes. Dicentes, ſe eſſe Sapientes, ſtulti facti ſunt. Habes remedium à contrario. Si dicendo, te eſſe ſapientem, ſtultus factus es; dic te ſtultum, & ſapiens eris. Sed dic, & intùs dic: quia ſic eſt ut dicis: Si dicis, noli coram hominibus dicere, & coram Deo nō dicere. Prorſus quod ad teipſum pertinet, quod ad tua, tenebroſus es. Quid eſt enim aliud eſſe ſtultum, niſi eſſe tenebroſum in corde? Dic, quia tu tibi lumen non es. Te Deum.

Ubi die 25. fit de S. Bartholomæo, loco ſupradictæ ix. lectionis, ponetur Homilìa de Vigilia, de qua fiet commem. in Laudibus, & in Miſſa, cum Evangelio ipſius in fine Miſſæ. Veſperæ de S. Bartholomeo ſine ulla commemoratione.

Die XXV. Auguſti.

Tertia die infra Octavam Sancti Philippi.

Officium fit de Sancto Ludovico Con-

Digitized by Google

Confeſſore Francorum Reg. ut in Breviar. Semid. In ſecundis Veſp. à Cap. de Octava S. Philippi, commem. S. Ludovici, & S. Zephyrini Papæ, & Mart.

Romæ verò hac die, officium fiet de S. Bartholomæo Apoſtolo abſque ulla commem. In ſecundis Veſp. comm. S. Ludovici Confeſs., & S. Zephyrini tantùm.

Die XXVI. Auguſti.

Quarta die infra Octavam Sancti Philippi.

Officium fit, ut ſupra notatur ſecunda die infr. Octav. Lect. 1. Noct. de Script. occurrente, 2., & 3. Noct., ut ſupra ſecunda die, excepta ix. lectione, quæ dicitur, ut ſequitur.

Pro Sancto Zephyrino.

Lectio ix.

Zephyrinus Romanus, Severo Imperatore ad regendam Eccleſiam aſſumptus, ſancivit, ut qui ordinandi eſſent, opportuno tempore, & multis præſentibus clericis, & laicis, de more ſacris initiarentur: doctique, ac ſpectatæ vitæ homines ad id officii munus deligerentur. Decrevit præterea, ut rem Divinam facienti Epiſcopo Sacerdotes omnes aſtarent. Idem inſtituit, ut Patriarcha, Primas, Metropolitanus adverſus Epiſcopum non ferant ſententiam, niſi Apoſtolica auctoritate fulti. Vixit in Pontificatu annos decem, & octo, dies decem, & octo. Habuit ordinationes quatuor menſe Decembri, quibus creavit Presbyteros tredecim, Diaconos ſeptem, Epiſcopos per diverſa loca tredecim. Antonino Imperatore martyrio coronatus eſt, & ſepultus via Appia propè cœmeterium Calliſti ſeptimo kalendas Septembris. Te Deum.

In Laudibus, fit commem. ejuſdem Sancti.

Antiph. Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. ℣. Juſtus ut palma florebit.

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Oratio.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut Beati Zephyrini martyris tui, atque Pontificis, cujus gaudemus meritis, inſtruamur exemplis. Per Dominum.

De quo fit comm. etiã in Miſſa.

Romæ verò & ubi heri factum fuit officium de Sancto Bartholomæo Apoſtolo, hodie fit de S. Ludovico Confeſſore cum ix. lectione, & commem. S. Zephyrini ut ſupra. In Veſperis à Cap. de Octava S. Philippi, commem. S. Ludovici.

Die XXVII. Auguſti.

Quinta die infra Octavam S. Philippi.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

Digitized by Google

In Secundo Nocturno.

Lectio iv.

CUm tam magna Philippus præſtaret, ac tanto eſſet in pretio apud omne hominum genus, & præcipuè Principes viros, ſeſe mirificè contemnebat. Summa demiſſione animi ſervire vilibus miniſteriis exoptavit, & obedientiæ juſſu Sacerdotio initiatus eſt, cum ipſius ſapientia detecta fuit in itinere Florentiâ Senas à duobus Patribus Ordinis Prædicatorum. Exhorruit Magiſtratus, quos Cœleſtis vocis admonitu ſubire compulſus fuit. Non implevit Conſilium, quod ſæpè agitavit deponendi Præfecturam, viſione Divina prohibitus. Fugâ eripuit ſe Archiepiſcopatui Florentino, ac deindè oblato Summo Pontificatui, quem à nullo tam conſtanter, & feliciter, ſicut à Philippo, recuſatum fuiſſe conſtat. Dignum ſe quovis contemptu arbitrabatur, ideòque injurias, & verbera hilaris excipiebat, & exhorrens plauſum populi, à quo Sanctus, magnis clamoribus appellabatur, miſerum ſe eſſe peccatorem profitebatur; & ſub vitæ finem pœnitentiæ Pſalmos inter ſingultus, & gemitus recitavit, ac ſæpè ingeminavit Publicani verba: Deus propitius eſto mihi peccatori,

℞. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodivit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutavit illum, * Cum percuſſorem convertit.

℣. In tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio. Cum percuſſorem.

Lectio v.

SUmmoperè deſideravit ceteris obtemperare: quod etiam antè regimen illi delatum præſtitit obſequentiſſimè, licèt Cœleſti Sapientia præditus conſilii Angelus videretur. Laceram ſemper, & gravem rigenti panno veſtem adhibuit; nec ullus, ex cultu ipſius eſterno, ſuſpicari potuit, quod ſummum in Ordine ſuo munus obſiret. Cum Epiſcopus Tudertínus juſſiſſet, illum lætaliter ægrotantem in lecto decumbere, commodandum pauperrimo Philippo ſtratum fuit à quodam Jacobo ſpirituali ipſius filio. Regiónes plurimas pedibus ſemper peragravit, etiã Æſtáte fervida, & Hyeme rigente, niſi, cum ſemel ægrótans vili jumento inſédit. Præter flagella, quibus frequentiſſimè virgineum corpus uſque ad ſanguinem ſauciabat, perpetuum cilicium adhibuit, quod neque deſervit moriens. Frequens per hebdomadam jejunium adhuc infans incépit, quo etiam tempore ſuper

ſuper nudam humum cubare conſuévit. Crepidas inæqualibus, & moleſtiſſimis juncis intexuit, quæ deindè in incendium conjectæ, ſtatim illud mirabiliter extinxerunt.

℟. Amavit eum Regina Cœlorum,* Et inſignibus dolorum ſuorum ornavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei. Et inſignibus.

Lectio vj.

DEi Amore vehementer æſtuabat, & eumdem ab omnibus agnoſci cupiens, juſſit Fratres ſuos diſcere peregrinas linguas, ut barbaros populos ad fidem perducerent; utque Ethnicos ipſe ad Chriſtum adjungeret, in Aſiā aliquando penetravit. Corporis etiā neceſſitatibus ſubſidium ſemper attulit, non ſolum ſuis Patribus famulatus, pro ipſis eleemoſynam quærens, intempeſta nocte conſurgens, ut ægrótis miniſtraret; verum etiam adeò pauperum miſertus eſt, ut proprium illis induſium donaverit, quod facinus Deus inſigni miraculo cōprobavit. Orationi ſummopere addictus, ab ipſa pueritia incœpit media nocte conſurgere ad preces Deo perſolvendas, & hunc morem deinde perpetuò ſervavit, atque horas plurimas hærebat, profuſus in genua in uberem fletum ſolutus. Solitarius etiam per quatuor annos in Senarii Montis crypta delituit.

℟. Iſte homo perfécit omnia, quæ locutus eſt ei Deus, & dixit ad eum: Vade ad Senarium montem myrrhæ: * Et docebo te vias meas.

℣. Veni ad montem Domini, & ad domum Genitrícis meæ. Et docebo. Gloria. Et docebo.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 11.*

IN illo tempore: reſpondens Jeſus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine Cœli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia S. Jo: Chryſoſtomi.

Homil. 39. in Matth.

NOn hic, aut ille, ſed omnes, qui curis, qui doloribus, qui peccatis laboratis, venite ad me, non ut pœnas luatis, verùm ut dolores, peccataque veſtra reſolvantur: Venite ad me, non quia glorificari me à vobis opus eſt mihi, ſed quia ſalutem veſtram maximè ſitio. Ego, inquit, requiem vobis tribuam: non dixit ſalvos faciam, ſed quod majus eſt, in omni ſecuritate conſtituam. Tollite jugum meum ſuper

Digitized by Google

vos. Nolite igitur onus pertimeſcere; ſuavitatis enim eximiæ plenum.

℟. Vidit contradictionem in Civitate, bella, & ſeditiones audivit, * Et fecit pacem in virtute ſua.

℣. Viri ſanguinum tota die conſtituebant prælia. Et fecit.

Lectio viij.

QUomodo autem in ſuperioribus dicebat anguſtam eſſe januam, & arduam tribulationibus viam? Quando videlicet deſidia, quando ignavia diſſolutus es; nam quando quæ dicta ſunt, perfeceris, leve tunc erit onus; quapropter magnitudine retributionis etiam nunc leve appellatur. Quomodo autem, inquies, quæ dicta ſunt perficiam animo? Si humilitate ſincéra, ſi manſuetudine vera, ſi moderatione integra te communies. Humilitas quippè virtus eſt, & ſublimioris philoſophiæ mater, atque origo.

℟. Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundùm verbum tuum in pace, * Quia viderunt oculi mei Genitricem Domini.

℣. Lætifica animam Servi tui, quia ad te Domine animam meam levavi. Quia. Gloria. Quia. *Lectio ix.*

COnſidera quomodo his omnibus, ut humilitatem prçcipuè colant, ipſis perſuadet. Primò in his, quæ ipſe perégit: Diſcite, inquit, à me, quoniam mitis ſum. Deinde magnitudine retributionis: Invenietis enim requiem animabus veſtris. Prçterea his, quæ ipſe gratis affert: Ego enim, inquit, requiem vobis compræſtabo. Ad hæc, quia facilem rem, atque ſuavem eſſe approbavit: Suave namque jugum eſt, inquit, & onus meum leve. Quod ſi adhuc jugum, ac onus audiendo formidas nimium, atque perhorreſcis, non naturæ rerum hujusmodi timorē, ſed ignaviæ totum attribuas; nam ſi accinctus, & præparatus eris, & nulla deſidia effœminatus, cuncta tibi facilia, leviſſimaque videbuntur.

Te Deum.

In Veſperis totum de ſequenti abſque ulla commemoratione.

Die XXVIII. Auguſti.

Sexta die infr. oct. S. Philippi.

Totum officium fit de S. Auguſtino Eccleſiæ Doctore, ac Legislatore noſtro. Dupl. ſecundæ claſſis cum octava. Omnia, ut in Breviario. In Laudib. & Miſſis privatis fit comm. Sancti Hermètis tantùm.

In ſecundis Veſp. commem. S. Jo: Baptiſtæ, & S. Sabìnæ tantùm.

Die XXIX. Auguſti.

Septima die infra octavam S. Philippi, & ſecunda infra octa-

octavam S. Auguſtini.

Fit de Decollatione S. Joannis Baptiſtæ Duplex. Omnia, ut in Breviario cum comm. octavar. SS. Auguſtini, & Philippi in Laudib. & in Miſſa ante commem. S. Sabinæ, de qua dicitur ix. Lectio, & dicitur Credo in Miſſa.

In ſecundis Veſperis fit à Capitulo octavæ S. Philippi, commemor. præcedentis, octavæ Sancti Auguſtini, ac SS. Felicis, & Adaucti Mart.

Die XXX. Auguſti.

Octava Sancti Philippi Dupl.

In Primo Nocturno

Lectiones de Scriptur. occurr.

In Secundo Nocturno.

Lectio iv.

Antequam exortus in lucem fuiſſet, cœleſtes de illo Matris viſiones incœperunt. Illi deindè Beatiſſima Virgo ſæpius videndam ſe præbuit, etiam cum in ſeculo vitam degeret. Cum ante ſacram imaginem Deiparæ ab Angelo ſalutatæ oraret Florentiæ, vidit ſupra mirabilem currum Reginam ſuam, lugubrem dolorum ſuorum Habitum porrigentem, eamque audivit dicentem ſibi: Philippe accede, & adjunge te ad currum iſtum; & alia vice excépit hæc verba: Philippe, Servos meos in craſtinum adeas. Delatas in Cœlum ſociorum quorumdam ſuorum animas vidit. Lapſuras à ſereno Cœlo ſupra ſceleſtos flammas, & Summum Pontificatum Cardinali Ottobono deferendum, aliaque plurima prædixit: & vicinæ ſuæ mortis certior factus, Vicarium Generalem elégit, & in Senario monte per duos menſes ad obitum ſe præparavit, ac Tudertum ingreſſus dixit: Hæc requies mea, hic habitabo, quoniam elégi eam; prævidébat enim, fruſtrà operam adhibendam, ut ſuum Corpus ad alias Urbes deferretur.

℟. Honeſtum fecit illũ Dominus, & cuſtodívit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutavit illum; * Cum percuſſorem convertit.

℣. In tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio. Cum.

Lectio v.

Miraculis, etiam dum viveret, illuſtris fuit. Rationis uſum, quinto ætatis menſe, indultum ipſi fuiſſe, opinari poſſumus, cùm etiam tunc eleemoſynæ fructus, & famulatus Deiparæ dignitatem agnoſcere videretur, aut ſaltẽ adhuc ſub cura nutricis, jejunia, & chaumenias, ideſt, humi cubationes incœpit. Præter fontem eductum ex rupe Senarii, prodigioſa balnea aperuit in loco, qui dicitur Montagnàta, quæ ſtatim Sancti Philippi Balnea appellari

Digitized by Google

cœperunt. In Alpibus Sabaudiæ Angeli ſe itineris duces exhibuerunt ipſi, ut educerent ex erroribus inextricabilis ſylvæ, eumdemque ſimul cum ſociis cœleſti pane, & aqua recrearunt. Aretii Fratribus, ad illius preces, annona cœlitus delata eſt. Perpetuum prodigium fuit Beati Philippi vis in animis illicò permutandis, & à ſceleſtiſſima etiam vita ad ſanctitatem evocandis.

℟. Amavit eum Regina Cœlorum,* Et inſignibus dolorum ſuorum ornavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei. Et inſignibus.

Lectio vi.

POſt mortem verò miraculorum dono magis inclaruit, tum antequam à Leone Decimo Pontifice Maximo Beatorum albo adſcriberetur, tum ante ſolemnem ipſius Canonizationem. Mulierem manibus, pedibusque contractam, ſtatim incolumitati reſtituit; aliam, quæ ſuis miraculis fidem non adhibebat, vocis uſu privavit, & reſipiſcenti loquendi facultatem reſtituit. Cæcus ad ejus tumulum delatus viſum recepit. Puer ex utràque parte gibbus, & cujus inutiles pedes, & crura ad inſtar funis in quamcumque partem, & etiam ſupra humeros torquebantur, ſolidatis plantis illicò inceſſit, & prominens ex pectore, ac tergo deformitas ſtatim evanuit. Mulier per annos tredecim ſanguinis fluxum paſſa, jamque à Medicis proclamata, extemplò convaluit. Demum, præter cætera prodigia, mortuos etiam ad vitam revocavit; inter quos puerum in agro Tudertino à Lupo ſtrangulatum, & alterum viduæ filium unicū, qui ex diutino morbo defunctus, dum opem Philippi gemebunda mater implorat, eūdem ſibi auxilium ferentem ſe vidiſſe teſtata eſt, correptis incredibili admiratione illis, qui matrem conſolabantur.

℟. Iſte homo perfecit omnia, quæ locutus eſt ei Deus: & dixit ad eum: Vade ad Senarium montem Myrrhæ, * Et docebo te vias meas.

℣. Veni ad montem Domini, & ad domum Genitricis meæ. Et docebo. Gloria. Et docebo.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 11.*

IN illo tempore: reſpondens Jeſus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine Cœli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à Sapientibus, & Prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Et reliqua.

Ho-

Digitized by Google

Homilia S. Gregorii Papæ.
In moralib. lib. 34. cap. 21. & 22.

Udiamus cũcti quid magiſtra veritas docet dicens: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Ad hoc namque unigenitus Dei filius formam infirmitatis noſtræ ſuſcepit; ad hoc inviſibilis, non ſolùm viſibilis, ſed etiam deſpectus apparuit; ad hoc contumeliarum ludibria, irriſionum opprobria, paſſionumque tormenta toleravit, ut ſuperbum non eſſe hominem doceret humilis Deus. Quanta ergo humilitatis virtus eſt, propter quam ſolam veraciter edocendam, is, qui ſine æſtimatione magnus eſt, uſque ad paſſionem factus eſt parvus?

℟. Vidit contradictionem in civitate, bella, & ſeditiones audivit, * Et fecit pacem in virtute ſua.

℣. Viri ſanguinum tota die conſtituebant prælia. Et fecit.

Lectio viij.

Uia enim originem perditionis noſtræ ſuperbia præbuit diaboli, inſtrumentum redemptionis noſtræ inventa eſt humilitas Dei. Hoſtis quippè noſter magnus inter omnia conditus, videri ſuper omnia voluit elatus. Redemptor autem noſter, magnus manens ſuper omnia, fieri inter omnia dignatus eſt parvus. Sed melius, & elationis cauſam detegimus, & fundamenta humilitatis aperimus, ſi brevi commemoratione perſtringimus, quid mortis Auctor, quid vitæ conditor dicat. Ille namque ait: In Cœlum aſcendam. Iſte autem per Prophetam dicit: Repleta eſt malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit.

℟. Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundùm verbum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei Genitricem Domini.

℟. Lætifica animam ſervi tui, quia ad te, Domine, animam meam levavi. Quia viderunt. Gloria Patri. Quia viderunt.

Pro SS. Felice, & Adaucto.

Lectio ix.

Elix, Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, propter ſuſceptã Chriſti Religionem comprehenſus, in Serapidis templum adductus eſt. Cui ſacrificare cum juberetur, os ſimulacri cõſpuit. Quo facto, ſtatim ærea ſtatua corruit. Quod cum iterum, ac tertiò in æde Mercurii, Dianæque factum eſſet; impietatis, & magicæ artis accuſatus, equuleo torquetur. Mox ad ſecundum ab Urbe lapidem via Oſtienſi ducitur, ut ſecuri feriretur. Cui inter viam oblatus quidam Chri-

ſtianus, cum, Felicem agnoſcens, ad martyrium duci vidéret: Ego quoque, clara voce inquit, eàdem, qua iſte, lege vivo, ego eumdem Jeſum Chriſtum colo. Itaque Felicem oſculatus, cum eo ſecúri percutitur, tertio Kalendas Septembris: cujus nomen, cum ignotum eſſet Chriſtianis, is Adaucti nomine nobilitatus eſt, quod Sancto Martyri Felici adauctus ſit ad corońam. Te Deum.

In Laudibus fit commemor. octav. S. Auguſtini.

Ant. Euge ſerve bone, & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, dicit Dominus.

℣. Juſtum deduxit Dominus per vias rectas.

℟. Et oſtendit illi Regnum Dei.

Oratio.

ADeſto ſupplicationibus noſtris omnipotēs Deus, & quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges; intercedente Beato Auguſtino Confeſſore tuo, atque Pontifice, conſuetæ miſericordiæ tribue benignus effectum. Per Dominum.

Deindè fit commem. SS. Felicis, & Adaucti.

Ant. Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt, nolite timére, multis paſſeribus meliores eſtis vos.

℣. Exultabunt Sancti in gloria.

℟. Lætabuntur in cubilibus ſuis.

Oratio.

MAjeſtatem tuam, Domine, ſupplices exoramus: ut ſicut nos jugiter Sanctorum tuorum commemoratione lætificas: ita ſemper ſupplicatione defendas. Per Dominum.

In ſecundis Veſperis à Capitulo de S. Raymundo Nonnato Confeſſore, ut in Breviario. Commem. diei oct. S. Philippi.

Ant. O glorioſiſſime fili Reginæ Angelorum: ò excelſum Servorum decus; nos tuos filios reſpice, & apud Deum pro nobis intercede.

℣. Ora pro nobis Beate Pater Philippe.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oratio.

DEus fidelium Servorum Dominator, & Cuſtos, qui per Beatum Philippum Servorum Mariæ honorabile nomen illuſtraſti: concede nobis famulis tuis, ut ejus patrocinio, ſic tibi, tuæque Genitrici ſerviamus in terris, ut regnare cum ipſo mereamur in Cœlis. Qui vivis, &c.

Deindè fit com. oct. S. Auguſtini.

Ant. O Doctor optime, Eccleſiæ ſanctæ lumen, beate Auguſtine divinæ legis amator,

Digitized by Google

tor, deprecáre pro nobis filium Dei.

℣. Juſtum deduxit Dominus per vias rectas.

℞. Et oſtendit illi regnum Dei.

Oratio.

Adeſto ſupplicationibus noſtris omnipotẽs Deus: & quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges: intercedente beato Auguſtino confeſſore tuo, atque Pontifice, conſuetæ miſericordiæ tribue benignus effectum. Per Dominum &c.

Die XXXI. Auguſti.

Quarta die infra Octavam S. Auguſtini.

Officium fit de S. Raymundo Nonnato Confeſſore. Dupl. ut in Breviario. Commem. Octavæ S. Auguſtini. ℣. Amavit eum Dominus, &c.

In ſecundis Veſperis commem. dictæ Oct. ℣. Amavit eum, &c. *S. Ægidii Abbatis.* ℣. Os juſti, &c. *& SS. Duodecim Frat. Martyrum.*

FESTA SEPTEMBRIS.

Die I. Septembris.

Quinta die infra Octavam S. Auguſtini. Semid. omnia de Communi, [redacted]

In Primo Nocturno Lect. de Scriptur. occurr.

In Secundo Nocturno.

De expoſitione S. Auguſtini Epiſcopi in Epiſtolam primam S. Joannis. Tractatu tertio versùs fin.

Lectio iv.

Non habétis neceſſitatem, ut aliquis vos doceat, quia unctio ipſius docet vos de omnibus. Quid ergo nos facimus, fratres, quia docemus vos? Si unctio ejus docet vos de omnibus, quaſi nos ſine cauſa laboramus. Et, ut quid tantum clamamus? Dimittamus vos unctioni illius, & doceat vos unctio ipſius. Sed modo mihi facio quæſtionem, & illi ipſi Apoſtolo facio: dignetur audire parvulum quærentem à ſe; ipſi Joanni dico: unctionem habebant, quibus loquebaris? Tu dixiſti, quia unctio ipſius docet vos de omnibus; ut quid talem epiſtolam feciſti? Quid illos tu docebas? Quid inſtruebas, quid ædificabas?

℞. Invéni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum,* Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus enim.

Lectio v.

Jam hìc vidéte magnum ſacramentum, fratres: Sonus verborum noſtrorum aures percutit, magiſter intus eſt. Nolite putare quemquam aliquid diſcere ab homine. Admonére poſſumus per ſtrepitum

tum vocis noſtræ: ſi non ſit intus qui doceat, inanis ſit ſtrepitus noſter. Magiſteria forinſecus adjutoria quædam ſunt, & admonitiones. Cathedram in Cœlo habet, qui corda docet. Propterea ait, & ipſe in Evangelio: Nolite vobis dicere Magiſtrum in terra, unus eſt Magiſter veſter Chriſtus. Ipſe vobis ergo intus loquatur, quando nemo hominum illic eſt: quia & ſi aliquis eſt à latere tuo, nullus eſt in corde tuo. Chriſtus ſit in corde tuo.

℟. Poſui adjutorium ſuper potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

SIc ſunt iſta verba, fratres, quæ forinſecus dicimus, quomodo eſt agricola ad arborem. Forinſecus operatur, adhibet aquam, & diligentiam culturæ: quælibet forinſecus adhibeat, nunquid poma format? Nunquid nuditatem lignorum veſtit umbra foliorum? Nunquid tale aliquid intrinſecus agit? Sed quis agit hoc? Audite agricolam Apoſtolum, & videte quid ſumus, & audite magiſtrum interiorem: Ego plantavi, Apollo rigavit; ſed Deus incrementum dedit. Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat; ſed qui incrementũ dat Deus. Hoc ergo vobis dicimus: ſive plantemus, ſive rigemus, loquendo non ſumus aliquid: ſed ille, qui incrementum dat Deus, ideſt, unctio illius, quæ docet vos de omnibus.

℟. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina ejus repleta eſt: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & pervénit ad cœleſtia regna. Ipſe intercedat. Gloria. Ipſe intercedat.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii ſecundum Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 5.*

IN illo tempore: dixit Jeſus diſcipulis ſuis. Vos eſtis ſal terræ, quod ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? Et reliqua.

Homilía Sancti Joannis Chryſoſtomi.

Homilia 15. in Matth. ſub med.

ATtende quid dicat: vos eſtis ſal terræ: per quod oſtendit, quàm neceſſariò iſta præcipiat. Non enim de veſtra, inquit, tantummodo vita, ſed de univerſo orbe vobis ratio reddenda eſt. Non ad duas quippè urbes, aut decem, aut viginti, neque ad unam gentem vos mitto, ſicut mit-

mittebam Prophetas: ſed ad omnem terram, prorſus, ac mare, totumque mundum, & hunc variis criminibus oppreſſum.

℟. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, ſtolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradiſi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

Lectio viij.

Dicendo enim: vos eſtis ſal terræ; oſtendit omnium hominum infatuatam eſſe naturam, & peccatorum vi corruptam: & idcirco illas ab eis virtutes requirit, quæ maximè ad multorum ſalutem procurandam neceſſariæ ſunt, atque utiles. Nam, qui manſuetus eſt, ac modeſtus, & miſericors, & juſtus: non intra ſe tantummodo hæc rectè facta conclùdit, verum in aliorum quoque utilitatem præclaros hos faciet effluere fontes. Igitur qui corde mundo eſt, atque pacificus, & perſecutionem pro veritate patitur: nihilominus in commune commodum vitam inſtituit.

℟. In medio Eccleſiæ aperuit os ejus, * Et implevit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ, & intellectus.

℣. Jucunditatem, & exultationem theſaurizavit ſuper eum. Et implevit. Gloria Patri. Et implevit.

Pro Sancto Ægidio.

Lectio ix.

Ægidius Athenienſis Regiæ ſtirpis, à prima ætate divinis litteris, & charitatis officiis ita deditus fuit, ut nihil præterea curare videretur. Itaque parentibus mortuis totum patrimonium in pauperes erogavit: quin etiam tunicam exuit, ut ægrótum egentem tegeret; qua ille indutus ſtatim convaluit. Sed multis deinceps clarus miraculis, timens ſui nominis celebritatem, Arelátem ad beatum Cæſarium contendit: à quo poſt biennium diſcedens ſeceſſit in erémum: ubi diutiùs herbarum radicibus & cervæ lacte, quæ ſtatis ad eum horis veniebat, admirabili ſanctitate vixit. Quæ cerva, inſequentibus quodam die canibus regiis, cum in antrum Ægidii refugiſſet, Galliæ Regem impulit, ut ab eo ſummis precibus peteret, ut in loco ſpeluncæ monaſterium extrui pateretur. Cujus adminiſtrationem, flagitante Rege, invitus ſuſcepit: eóque munere aliquot annis prudenter, piéque geſto migravit in Cœlum. Te Deum.

In Laudibus, fit commemoratio de Sancto Ægidio.

Antiph. Euge ſerve bone, & fide-

Digitized by Google

fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. ℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum. ℟. Stolam gloriæ induit eum.

Oratio.

INterceſſio nos, quæſumus Domine, beati Ægidii Abbatis commendet: ut, quod noſtris meritis non valemus, ejus patrocinio aſſequamur.

Deinde SS. duodecim Fratrum.

Antiph. Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt, nolite timére, multis paſſeribus meliores eſtis vos.

℣. Exultabũt ſancti in gloria. ℟. Lætabuntur in cubilibus ſuis.

Oratio.

FRaterna nos, Domine, martyrum tuorum corona lætificet; quæ, & fidei noſtræ præbeat incrementa virtutum, & multiplici nos ſuffragio conſoletur. Per Dñm.

Die II. Septembris.

Sexta die infr. oct. S. Auguſtini.

Officium fit de Sancto Stephano Confeſſore Vngarorum Rege. Semid. Omnia ut in Breviario. Fit commemoratio Octavæ in Laudibus, & Miſſa, in qua Credo. In ſecundis Veſp. à Cap. de Octava, commem. S. Stephani.

Die III. Septembris.

Septima die infra Octavam S. Auguſtini. Semid.

In Primo Nocturno Lect. de Script. occurrente.

In Secundo Nocturno.

Sermo Sancti Auguſtini Epiſcopi.

Serm. 3. de verbis Domini in Matth. in init.

Lectio iv.

CUm nobis pro officio competat dicere, vobis autem conveniat pro devotione audire; quid tam neceſſarium tamque pertinens poterit utriſque contingere, quam ut quod religiosè dicitur, & devotè auditur, obſequiis competentibus teneatur. Nam ſi religioſa non tacére lucrum eſt, tacére diſpendium; quantò itaque potiora lucra poterunt provenire, cùm operationis effectu monſtratur, quidquid magiſteriis cœleſtibus & diſcitur, & tenetur? Par enim cauſa, & docentem, & audientem conſtringit, ut utriuſque profeſſio factorum teſtificatione ſignetur.

℟. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum, * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio v.

ET quamvis diſſimile ſit Doctoris, diſcentiſque officium, tamen utriuſque par eſſe debet ſanctarum legum obſequium: ut jungantur factis, qui ſeparantur officiis;

copu-

Digitized by Google

copulentur opere, qui diverſi ſunt nomine, & quos vocabula ab invicem ſeparant, eos obſervantia præceptorum fideliter, & devotè conjungat. Quarè ſic fit, ut utriſque diverſus ſit actus, ſed obſervantiæ par ſit neceſſarius in utriſque effectus, ut factorum in ambóbus conſpiret aſſenſus, quibus diverſus eſt in vocabulis ſonus.

℞. Poſui adjutorium ſuper potentem, & exaltavi electum de plebe mea; * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Invéni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum. Manus enim mea.

Lectio vi.

IN doctore enim moleſta eſt cauſa, dicere, & non facere; præcipere, nec obſervare: in diſcente verò audire velle, quod nolit implere; aures quidem auditui accommodare, & ab opere voluntatem avertere. Cæterum qui facit quod docet, & qui, quod imperat, complet, maximus in cœleſtibus ſententiâ Domini declaratur. At verò, qui, quod diſcit, negligit, & qui quod audit, contemnit, ſalutis reus exiſtit: quia obſervanda contempſit, & pericula non vitavit. Amat enim mortem, qui vitæ præcepta non ſervat: & horret vitam, qui peccata morti debita deſperata morte frequentat.

℞. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina ejus repleta eſt, * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & pervénit ad cœleſtia regna. Ipſe. Gloria. Ipſe.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 5.*

IN illo tempore: dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ: Quòd ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? Et reliqua.

Homilía Sancti Auguſtini Epiſcopi.

Ex lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 5.

NEque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio. Quid putamus? ita eſſe dictum ſub modio, ut occultatio tantum lucernæ accipienda ſit, tanquam ſi diceret: Nemo accendit lucernam, & occultat illam? An aliquid etiam modius ſignificat, ut hoc ſit ponere lucernam ſub modio, ſuperiora facere corporis commoda, quàm prædicationem veritatis; ut ideo quiſque veritatem non prædicet, dum timet, ne aliquid in rebus corporalibus, & temporalibus moleſtiæ patiatur? Et benè modius dicitur,

ſive

Digitized by Google

ſive propter retributionem menſuræ, quia ea quisque recipit quæ geſſit in corpore, ſive quoniam temporalia bona, quæ corpore peraguntur, certa dierum menſura, & inchoantur, & tranſeunt, quam fortaſsè ſignificat modius.

℞. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, ſtolam gloriæ induit eum,* Et ad portas paradiſi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. Et ad.

Lectio viij.

SUb modio ergo lucernam ponit, quisque lucem bonæ doctrinæ commodis temporalibus obſcúrat, & tegit. Super candelabrum autem, qui corpus ſuum miniſterio Dei ſubjicit, ut ſuperior ſit prædicatio veritatis, & inferior ſervitus corporis; per ipſam tamen corporis ſervitutem excelſior luceat doctrina, quæ per officia corporalia, ideſt per vocem, & linguam, & cæteros corporis motus in bonis operibus inſinuatur diſcentibus.

℞. In medio Eccleſiæ aperuit os ejus,*Et implevit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ, & intellectus.

℣. Jucunditatem, & exultationem theſaurizavit ſuper eum. Et implevit. Gloria. Et implevit.

Lectio ix.

SUper candelabrum ergo ponit lucernam, cum dicit Apoſtolus: Non ſic pugno tanquam aerem cædens, ſed caſtigo corpus meum, & ſervituti ſubjicio, ne fortè aliis prædicans, ipſe reprobus inveniar. Quod verò ait: Ut luceat omnibus, qui in domo ſunt: domum puto dictam habitationem hominum, ideſt ipſum mundum, propter id quod ſuperius ait: Vos eſtis lumen mundi: aut, ſi domum quisque vult accipere Eccleſiam, nec hoc eſt abſurdum.

Te Deum.

Die 4. Septembris.

Octava S. Auguſtini. Duplex.

In Primo Nocturno Lect. de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Sermo Sancti Auguſtini Epiſcopi.

Ex Epiſtola 132. tom. 2.

Lectio iv.

SOllicitiſſimè cavendum eſt in docendo ſuperbiæ vitium, quod in diſcendo non ita eſt. Unde & ſancta Scriptura nos admonet dicens: ſit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendū: & ille in Pſalmo ait; auditui meo dabis exultationem, & lætitiam: continuoque ſubjecit: exultabunt oſſa humiliata. Vidit enim in audiendo facillimè ſervari humilitatem, quæ

quæ difficilis eſt in docendo; quoniam neceſſe eſt, ut Doctor habeat ſuperiorem locum, ubi laborioſum eſt obtinére, ne ſubrépat elatio.

℟. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus enim.

Lectio v.

In Pſalm. 139. verſus fin.

ECce enim, dico charitati veſtræ fratres mei; loquimur nos modo ad vos, ut aliquid doceamus vos. Quantò melius omnes ſciremus, & nemo docéret alterum; ut non eſſet alius loquens, alius audiens, ſed omnes audientes unum illum, cui dicitur: Auditui meo dabis exultationem, & lætitiam? Unde & ille Joannes, non tam gaudebat, quia prædicabat, & quia loquebatur; ſed gaudebat, quia audiebat. Ait enim: Amicus autem ſponſi ſtat, & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Itaque Fratres, citò dixerim charitati veſtræ, ubi unusquisque probet ſe, non ut non loquatur, ſed ut de alio locutionis officium exigat gaudium autem taciturnitatis habeat in voluntate, vocem doctrinæ in neceſſitate.

℟. Poſui adjutorium ſuper potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Invéni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

De Baptiſm. contra Donatiſt. lib. 2. cap. 5.

ET plerumque doctioribus minus aliquid revelatur, ut eorum patiens, & humilis charitas, in qua fructus major eſt, comprobetur, vel quomodo teneant unitatem, cum in rebus obſcurioribus diverſa ſentiunt; vel quomodo accipiant veritatem, cum contra id, quod ſentiebant, declaratam eſſe cognoſcunt. Quorum duorum manifeſtatum tenémus unum in beato Cypriano, ideſt, quomodo tenuerit unitatem cum eis, à quibus diverſum ſentiebat. Homines enim ſumus. Unde aliquid aliter ſapere, quam res ſe habet, humana tentatio eſt. Nimis autem amando ſententiam ſuam, vel invidēdo melioribus uſq; ad ſacrilegium pervenire, diabolica præſumptio eſt; in nullo autem aliter ſapere, quam res ſe habet, angelica perfectio eſt.

℟. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctriná ejus reple-

Digitized by Google

repleta eſt, * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & pervénit ad cœleſtia regna. Ipſe intercedat. Gloria. Ipſe intercedat.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij.

IN illo tempore: dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ. Quod ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? Et reliqua.

Homilia S.Gregorii Papæ.

Ex homil. 17. in Lucam ante medium.

COnſiderandum nobis eſt, ut qui una, eademque exhortationis voce non ſufficit ſimul cunctos admonére, ſtudeat ſingulos, in quantum valet, inſtruere, privatis locutionibus ædificare. Debemus namque penſare continuò, quod Sanctis Apoſtolis dicitur, & per Apoſtolos nobis: Vos eſtis ſal terræ. Si ergo ſal ſumus, condíre mentes fidelium debemus. Vos igitur, qui paſtóres eſtis, penſate, quia Dei animalia paſcitis. De quibus profectò animalibus Deo per Pſalmiſtam dicitur: Animalia tua habitabunt in ea.

℟. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, ſtolam gloriæ induit eum, * Et ad portas Paradiſi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. Et ad.

Lectio viij.

ET ſæpè videmus, quod petra ſalis brutis animalibus anteponitur, ut ex eàdem ſalis petra lambere debeant, & meliorari. Quaſi ergo inter bruta animalia petra ſalis, debet eſſe Sacerdos in populis. Curare namque Sacerdotem neceſſe eſt, quæ ſingulis dicat, unumquemque qualiter admoneat: ut quiſquis Sacerdoti jungitur, quaſi ex ſalis tactu, æternæ vitæ ſapóre condiatur. Sal etenim terræ non ſumus, ſi corda audientium nõ condímus. Quod profectò condimentum ille veraciter proximo impendit, qui prædicationis verbum nõ ſubtrahit. Sed tunc verè aliis recta prædicamus, ſi dicta rebus, & exemplis oſtendimus.

℟. In medio Eccleſiæ aperuit os ejus, * Et implevit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ, & intellectus.

℣. Jucunditatem, & exultationem theſaurizavit ſuper eum. Et implevit. Gloria. Et implevit.

Lectio ix.

NUllum puto, fratres chariſſimi, ab aliis majus præ-

Digitized by Google

præjudicium, quam à Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem poſuit, dare de ſe exempla pravitatis cernit, quando ipſi peccamus, qui cõpeſcere peccata debuimus. Nulla animarum lucra quærimus, ad noſtra quotidiè ſtudia vacamus, terrena concupiſcimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Et quia, eo ipſo, quo cæteris prælati ſumus, ad agenda quælibet majorem licentiam habemus: ſuſceptæ benedictionis miniſterium vertimus ad ambitionis argumentum. Dei cauſam relinquimus, ad terrena negotia vacamus: locum ſanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur. Te Deum.

Dominica Tertia Septembris.
Solemnitas
SEPTEM DOLORUM
B. M. V., noſtri Ordinis Titularis,& Patronæ.
Dupl.ſecundæ Claſſ.cum oct.

Omnia ut inferiùs pag. 120.

Infra octavam officium dicitur ſicut in feſto, præter lectiones, quæ in Primo Nocturno leguntur de ſcriptura occurrente. Lect. verò Secundi, & Tertii Nocturni deſumuntur ex aſſignatis inferiùs pro primis ſeptem menſibus, ſervato earum ordine qualibet die per totam octavam; quæ ita ſunt propriæ ſingulorum dierum, ut ſi aliqua die impedita alio officio lect. pro ea aſſignatæ legi non poſſint, non legantur alia die, ſed omittatur.

Si contigerit officium Nominis B. Mariæ transferri infra hanc octavam, vel in eadem occurrere feſtum B. Mariæ de Mercede, in his officiis non fit commemor. Septem Dolorum.

Die 22. Septembris.
Tranſlatio Tertia
SANCTI PHILIPPI
Confeſſoris, Ordinis noſtri Propagatoris, celebranda Tuderti tantùm.
Semiduplex.

Omnia, ut in die feſto ejusdem, præter ea, quæ hìc aſſignantur. In ſecundis Veſperis de S. Matthæo Apoſtolo, & Evangeliſta fit commem. Tranſlationis. Ant. pro Com. in utriſque Veſper.

O glorioſiſſime fili Reginæ Angelorum, ò excelſum Servorum decus, nos tuos filios reſpice, & apud Deum pro nobis intercede.

℣. Ora pro nobis Beate Pater Philippe.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oratio.

ADeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, quas in Beati Philippi Confeſſoris tui Patris noſtri Tranſlatione deferimus: ut qui noſtræ

Digitized by Google

ſtræ juſtitiæ fiduciã nõ habemus, ejus, qui tibi placuit precibus adjuvemur. Per Dñm.

Poſt fiat commemor. SS. Mauritii, & ſoc. MM.

In Primo Nocturno.

Lectiones de ſcriptura occurr.

In Secundo Nocturno.

Lectio iv.

CUm ob ſplendorem miraculorum, ac gratiarum, quibus fideles B. Philippi meritis à Deo frequenter cumulabantur, fama ſanctitatis ejusdem coruſcáret, cogitaverunt Patres venerandũ ejus Corpus, è communi fratrum ſepulcro in decentiorem locum transferre. Verebantur autem, ne Florentíni, (quod ab Honorio Quarto jã obtinuerant), ſacrum pignus aliò transferendum ſtuderent, qui curaverant olim per Agaſónem illud furtim ſublatum Florentiam aſportari, quamquam fruſtrà. Nam qui abſtulerat, per totam noctem cum iter egiſſet, manè non longè à mœnibus Tudertinis repertus eſt, & infantium clamore detectus. Re igitur communicata cum Tudertinis, anno à partu Virginis milleſimo tercenteſimo decimo ſeptimo, die decima Junii populis undique confluentibus, Epiſcopo, & Senatu ſpectantibus, exhumátum corpus, cum adhuc ſuavem odorem emitteret, in Altari Sancti Joſeph Eccleſię Sancti Marci fuit reconditum.

℟. Honeſtum fecit illũ Dominus, & cuſtodivit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutavit illum, * Cum percuſſorem convertit.

℣. In tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio. Cum percuſſorem.

Lectio v.

POſt annos plures Tudertini, & decreto, & ære publico ſacellum magnificè extructum in honorem ejuſdem exornarunt, in quo ſacrum Corpus altera ſolemni translatione reponi, decimo octavo Kalendas Septembris anno ſeptuageſimo nono ſupra milleſimum, & quingenteſimum, curaverunt. Verùm mutato ex cauſa Sancti Marci Monaſterio cum domicilio Monialium Ordinis S. Franciſci, ad Sanctæ Mariæ Gratiarum Ædem conceſſére Patres anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono, tertiamque, uti par erat, ſacri Corporis translationem decernentes octavo idus Septẽbris, ejusdem anni, ſepulcrum aperuére, ex quo ſuaviſſimus odor iterùm adſtantes omnes perfúdit. Arcula, in qua continebantur ſacra oſſa, & quæ nulla vi, aut arte à cæmentariis dimovéri potuerat, ma-

nu

Digitized by Google

nu vix appoſita Archidiaconi Cathedralis Eccleſiæ, ſacris indúti veſtibus, loco ceſſit. Sed & Corpus ipſum, quod aliàs aliò ſe transferri non eſt paſſum, admirando ſigno indicáre viſum eſt; ſervum Beatæ Mariæ Virginis, ad ejusdem Gratiarũ Virginis Ædẽ, ſine mora, Superiorum juſſu migraturum. Statim enim ac lapis major in Altari poſitus pro Miſſæ ſacrificio tactus eſt ab operariis, adeo velociter receſſit, ut in medium Eccleſiæ, nemine impellente, dilaberetur.

℟. Amavit eum Regina Cœlorum, * Et inſignibus dolorum ſuorum ornavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei. Et inſignibus.

Lectio vi.

Die verò decima octava Septembris, ſacris peractis in Eccleſia S. Marci ab Angelo Cæſio Tuderti Epiſcopo, coram Senatu, & Patribus, reſerata arcula, recognita fuerunt ſacra pignora, è quibus longè ſuavior, quàm antea, odor percipiebatur. Mox in alia cypreſſina, plumbo munita exterius, tribusque ſigillis obſignata, Epiſcopi, Senatus, & Religionis, fuerunt condita; donec undecimo Kalendas Octobris, indicta pompa, tota Civitate exultante, & Deum laudante, ad novam S. Mariæ Gratiarum Ædem deláta ſunt, & in Altari majori collocata. Erat ſerenum Cœlum, quando à templo Sancti Marci egrediendum erat, & ſtatim in imbrem maximum, & ſummam tempeſtatem totus aer converſus eſt, dæmonis operæ id nemine non adſcribente. At, eláto ſuper humeros Canonicorum ſacro Corpore, abiit imber, Cœloque ſereniore Sol effulſit illuſtrior. Feſtivitas autem hujus poſtremæ Tranſlationis die ſequenti celebratur, impedita feſto Sancti Matthæi præcedenti die.

℟. Iſte homo perfécit omnia, quę loquutus eſt ei Deus, & dixit ad eum: Vade ad Senarium montem Myrrhæ, * Et docebo te vias meas.

℣. Veni ad montem Domini, & ad domum Genitricis meæ. Et. Gloria. Et.

Reliqua, ut in die feſto 23. Auguſti cum ix. lect., & commemor. in laudib. SS. Mauritii, & SS. MM. Miſſa, ut in feſto, cum Gloria, 2. or. SS. Mauritii, & SS. MM. 3. A cunctis, *ſine* Credo. *In ſecundis Veſp. à cap. de S. Lino Papa, & Mart., com. præc. & S. Theclæ Virg. & Mar.*

Die XXIII. Septembris.

Ceſſat pro hac die officium SS. Nominis B. Mariæ olim conceſſum noſtræ Religioni à Sac. Rit.

Digitized by Google

Congreg. ſub die 26. Septembris, 1682. ob aliam conceſſionem poſteriùs factam ejuſdem officii de præcepto recitandi in Eccleſia univerſali, Dominica infra octavam Nativitatis ejuſdem Beatæ Mariæ.

FESTA NOVEMBRIS

Die XXI. Novembris.

PRÆSENTATIO B. M. V.

Dupl. 2. Claſſ. cum oct.

Omnia, ut in Breviario. In ſecundis Veſp. fit commem. S. Cæciliæ Virg. & Mart.

Die XXII. Novembris.

Fit officium de S. Cæcilia Virgine, & Mart. ut in Breviario cum commem. octavæ in laudib., Miſſa (in qua dicitur Credo cũ Præfat. B. V.) & in Veſp. in quibus fit etiam commem. ſeq., & S. Felicitat. M.

Die XXIII. Novembris.

Fit officium de S. Clemente Papa, & Mart., ut in Breviario, cum commem. octavæ. ℣. Dignare, &c. *nona lect. & commem. S. Felicitatis Mart. etiam in Miſſa, in qua Credo, & Præfat. B. V. In commem. S. Felicit.* ℣. Specie tua, &c. *In Veſp. à cap. de oct., commem. præced., & S. Chryſogoni Mart.*

Die XXIV. Novembris.

Quarta die infra octav. Præſentat. B. M. V. ſemid. Omnia, ut in officio B. Mariæ in Sabb., exceptis iis, quæ hic propria adnotantur.

In Primo Nocturno.

Lectiones de ſcriptura occurr.

In Secundo Nocturno.

Sermo S. Jo: Chryſoſtomi.

Apud Metaphraſtem.

Lectio iv.

DEi Filius non divitem, aut locupletem aliquã fœminam ſibi matrem elégit, ſed Beatam Virginem illam, cujus anima virtutibus ornata erat. Cùm enim Beata Marìa ſupra omnem humanam naturam caſtitatem ſervaret, propterea Chriſtum Dominũ in ventre concépit. Ad hanc igitur Sanctiſſimam Virginẽ, & Dei Matrem accurrentes, ejus patrociniis utilitatem aſſequamur. Itaque quæcumque eſtis virgines ad Matrem Domini confugite. Illa enim pulcherrimam, pretioſiſſimã, & incorruptibilem poſſeſſionem patrocinio ſuo vobis cõſervabit.

℟. Sicut cedrus exaltata ſum in Libano, & ſicut cypreſſus in monte Sion: quaſi myrrha electa, * Dedi ſuavitatem odoris.

℣. Et ſicut cinnamómum, & balſamum aromatizans. Dedi.

Lectio v.

MAgnum re vera miraculum, fratres dilectiſſimi, fuit Beata ſemper Virgo Maria. Quid namque illa majus, aut illuſtriùs ullo unquam tempore inventum eſt, ſeù ali-

Digitized by Google

aliquando invenîri poterit? Hæc ſola Cœlum, ac terram amplitudine ſuperavit. Quidnam illa ſanctius? Non Prophetæ, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, nõ Cherubim, non denique aliud quidpiam inter creatas res viſibiles, aut inviſibiles, majus, aut excellentius inveniri poteſt. Eadem ancilla Dei eſt, & Mater: eadem Virgo, & Genitrix.

℞. Quæ eſt iſta, quæ proceſſit ſicut Sol, & formoſa tanquam Jeruſalem? * Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & Reginæ laudaverunt eam.

℣. Et ſicut dies verni circumdabant eam flores roſarũ, & lilia convallium. Viderunt eam.

Lectio vi.

HÆc ejus Mater eſt, qui à Patre ante omne principium genitus fuit, quem Angeli, & homines agnoſcunt Dominum rerum omnium. Viſne cognoſcere quantò Virgo hęc præſtantior ſit cœleſtibus potentiis? Illæ cum timóre, & tremóre aſſiſtunt faciem velantes ſuam: hæc humanum genus illi offert, quem genuit. Per hanc & peccatorum veniam conſequimur. Ave igitur Mater, Cœlum, Puella, Virgo, Thronus, Eccleſiæ noſtræ decus, gloria, & firmamentum, aſſiduè pro nobis precáre Jeſum filium tuum, & Dominum noſtrum: ut per te miſericordiam invenîre in die judicii, & quæ repoſita ſunt iis, qui diligunt Deum, bona conſequi poſſimus, gratia, & benignitate Domini noſtri Jeſu Chriſti: cum quo Patri ſimul, & Sancto Spiritui gloria, & honor, & imperium nunc, & ſemper in ſecula ſeculorum. Amen.

℞. Ornatam monilibus filiã Jeruſalem Dominus concupívit; * Et videntes eam filiæ Sion beatiſſimam prædicavérunt dicentes: * Unguentum effuſum nomen tuum.

℣. Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deauráto, circumdata varietate. Et videntes. Gloria. Unguentum.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. *Cap. 11.*

IN illo tempore: Loquente Jeſu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia Sancti Irenæi Epiſcopi, & Martyris.

Lib. 3. adverſ. Hæreſ. cap. 32.

ERrant, qui dicunt, Chriſtum nihil ex Virgine acce-

Digitized by Google

acceppiſſe, ut abjiciant carnis hæreditatem, abjiciant autem & ſimilitudinem. Hoc autem dicere eſt, & putativè apparuiſſe eum, & tanquam hominem, cum non eſſet homo; & factum eum hominem nihil aſſumentem de homine. Si enim non accèpit ab homine ſubſtantiam carnis, neque homo factus eſt, neque filius hominis; & Apoſtolus Paulus, in epiſtola, quæ eſt ad Galatas manifeſtè ait: Miſit Deus Filium ſuum factum de muliere.

℟. Felix namque es, Sacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima: * Quia ex te ortus eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter.

℣. Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam ſanctam Præſentationē. Quia ex te.

Lectio viij.

ET rurſus in ea, quæ eſt ad Romanos: De filio autem (inquit) ejus, qui factus eſt ex ſemine David ſecundùm carnem, qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute, ſecundùm ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Jeſu Chriſti Domini noſtri. Cæterùm, ſupervacua eſt in Mariam deſcenſio ejus: quid enim in eam deſcendebat, ſi nihil incipiebat ſumere ab ea? Aut, ſi nihil ſumpſiſſet ex Maria, nunquam eas, quæ à terra erant, percepiſſet eſcas, per quas id, quod à terra ſumptum eſt, nutritur corpus, nec quadraginta diebus quemadmodum Moyſes, & Helias jejunans, eſuriſſet corpus ejus ſuam quærens eſcam.

℟. Beatam me dicent omnes generationes, * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.

℣. Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit. Gloria. Quia fecit.

Pro Sancto Chryſogono.

Lectio ix.

CHryſogonus, Diocletiano Imperatore, Romæ incluſus in carcere, ibi biennium Sanctæ Anaſtaſiæ facultatibus vixit: quam etiam afflictam propter Chriſtum à viro ſuo Publio, proptereàq; à ſuis orationibus per litteras auxilium poſtulantem, mutuis epiſtolis eſt conſolatus. Sed cum Imperator Romam ſcripſiſſet, ut reliquis Chriſtianis, qui in vinculis eſſent, interfectis, Chryſogonus Aquilejam ad ſe mitteretur, eò perductus eſt. Cui Imperator: Accerſivi, inquit, te, Chry-

Digitized by Google

Chryſogone, ut honoribus augeam, ſi modò induxeris animum Deos colere. At ille: Ego eum, qui verè eſt Deus, mente, & oratione veneror: Deos autem, qui nihil ſunt, niſi dæmonum ſimulacra, odi, & execror. Quo reſponſo excandeſcens Imperator ad Aquas Gradatas eum ſecúri percuti jubet, octavo Kalendas Decembris. Ejus corpus projectum in mare, paulò poſt in littore inventum, Zoilus Presbyter in ſuis ædibus ſepelivit. Te Deum.

Ad Laudes omnia, ut in officio B. Mariæ in Sabbato.

Oratio.

DEus, qui Beatam Mariam ſemper Virginem, Spiritus Sancti habitaculum, hodierna die in te mplo præſentari voluiſti: præſta quæſumus, ut ejus interceſſione, in templo gloriæ tuæ præſentari mereamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus per omnia ſecula ſeculorum.

Deinde fit commem. S. Chryſogoni Mart.

Ant. Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.

℣. Juſtus ut palma florebit.

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Oratio.

ADeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris: ut, qui, ex iniquitate noſtra, reos nos eſſe cognoſcimus, beati Chryſogoni martyris tui, interceſſione liberemur. Per Dominum.

In Veſp. de ſequenti; commem. Octavæ.

Die XXV. Novembris.

Fit officium de S. Catharina Virg., & Mart. Dupl. ut in Breviario cum comm. Octavæ, etiam in Miſſa, in qua dicitur Credo, & Præfatio de B. V. In com. Octavæ. ℣. Dignare.

In ſecundis Veſp. fit commem. Octavæ, & S. Petri Alexandrini Epiſc., & Mart.

Die XXVI. Novembris.

Sexta die infr. Octav. Præſentat. B. M. V.

In Primo Nocturno.

Lectiones de ſcriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Sermo Sancti Cyrilli Epiſcopi Alexandrini.

Homil. contra Neſtorium.

Lectio iv.

HIlarem video cœtum Sanctorum omnium, qui cōvenerunt promptis animis à Sancta, & Dei Matre Maria ſemper Virgine convocáti. Laus, & gloria ſit tibi ſancta Trinitas, quæ omnes nos ad hanc celebritatem convocaſti. Sit etiam tibi ſan-

Digitized by Google

cta Dei mater laus. Tu enim pretioſa margarita orbis terrarum, tu lampas inextinguibilis, corona virginitatis, ſceptrum Orthodoxæ fidei, templum indiſſolubile continens eum, qui nuſquam contineri poteſt, Mater, & Virgo, per quam benedictus qui venit in nomine Domini, in ſanctis Euangeliis nominatur.

℟. Sicut cedrus exaltata ſum in Libano, & ſicut cypreſſus in monte Sion: quaſi myrrha electa: * Dedi ſuavitatem odoris.

℣. Et ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizans. Dedi ſuavitatem.

Lectio v.

PEr te Trinitas ſanctificatur, per te Crux pretioſa celebratur, & adoratur in toto Orbe terrarum. Per te exultat cœlum, lætantur Angeli, & Archangeli, fugantur dæmones, & homo ipſe ad cœlum revocatur. Per te omnis creatura, idolorum errore detenta, converſa eſt ad agnitionem veritatis, & fideles homines ad ſanctum Baptiſma pervenerunt, atque in toto Orbe terrarum conſtructæ ſunt Eccleſiæ.

℟. Quæ eſt iſta, quæ proceſſit ſicut Sol, & formoſa tanquam Jeruſalem? * Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & reginæ laudaverunt eam.

℣. Et ſicut dies verni circundabant eam flores roſarum, & lilia convallium. Viderunt eam.

Lectio vj.

TE adjutrice gentes veniunt ad pœnitentiam. Quid plura? Per te Unigenitus Dei Filius, vera illa lux effulſit ſedentibus in tenebris, & umbra mortis. Per te Prophetæ prænunciarunt, per te Apoſtoli ſalutem gentibus prædicarunt. Quiſnam poterit tuarum laudum præconia explicare Maria, Mater, & Virgo? Hanc, fratres dilectiſſimi, celebremus, ejus filium Eccleſiæ ſponſum immaculatum adorantes: cui honor, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

℟. Ornatam monilibus filiam Jeruſalem Dominus concupivit, * Et videntes eam filiæ Sion, beatiſſimam prædicaverunt, dicentes: * Unguentum effuſum nomen tuum.

℣. Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Et videntes. Gloria. Unguentum.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. *Cap. 11.*

IN illo tempore: Loquente Jeſu ad turbas: Extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter,

Digitized by Google

ter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia Sancti Auguſtini Epiſcopi.

De ſancta Virginitate Cap. 3.

QUid aliud nos docet Dominus, niſi carnali cognationi genus noſtrum ſpiritale præponere, nec inde beatos eſſe homines, ſi juſtis, & ſanctis carnis propinquitate junguntur, ſed ſi eorum doctrinæ, ac moribus obediendo, atque imitando cohæreſcunt? Beatior ergo Maria percipiendo fidem Chriſti, quam concipiendo carnem Chriſti, nam & dicenti cuidam: Beatus venter, qui te portavit; ipſe reſpondit: Immo beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt.

℟. Felix namque es ſacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima, * Quia ex te ortus eſt ſol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter.

℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam ſanctam Præſentationem. Quia.

Lectio viij.

DEnique fratribus ejus, ideſt, ſecundum carnem cognatis, qui non in eum crediderunt, quid profuit illa cognatio? Sic & materna propinquitas nihil Mariæ profuiſſet, niſi felicius Chriſtum corde, quàm carne geſtaſſet. Ipſa quoque virginitas ejus, ideo gratior, & acceptior, quia non eam cõceptus Chriſtus, viro violaturo, quam conſervaret, ipſe præripuit, ſed prius quàm conciperetur, jam Deo dicatam, de qua naſceretur, elégit.

℟. Beatam me dicent omnes generationes, * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.

℣. Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit. Gloria. Quia fecit.

Pro S. Petro Alexandrino.

Lectio ix.

PEtrus Epiſcopus Alexandriæ, poſt Theónam virum ſanctiſſimum, ſanctitatis, & doctrinæ ſplendóre, non ſolum illuſtravit Ægyptum, ſed toti luxit Eccleſiæ Dei. Qui, in perſecutione Maximiani Galerii, illam temporum acerbitatem ita pertulit, ut multi, admirabilem ejus patientiam intuentes, plurimùm in Chriſtiana virtute proficerent. Is primus Arium Diaconum Alexandrinum, propter ſchiſma Meletianum, cui favebat, à fidelium communione ſejunxit. Ad eum, capitis ab eodem Maximiano damna-

Digitized by Google

damnatum in carcere, cum Achillas, & Alexander Presbyteri deprecatores Arii veniſſent, reſpondit: Nocte apparuiſſe ſibi Jeſum veſte diſciſſa, cauſamque rei ſciſcitanti, dixiſſe: Arius veſtem meam, quæ eſt Eccleſia, dilaceravit. Quibus etiam prædicens, fore, ut ſibi in Epiſcopatu ſuccederent, præcēpit, ne unquam Arium in communionem reciperent, quem Deo mortuum eſſe ſcirent. Et hanc divinam prænotionem veram fuiſſe, non diù poſt, rei probavit eventus. Denique duodecimo ſui Epiſcopatus anno, ſexto kalendas Decembris abſciſſo capite, ad martyrii coronam evolavit.

Te Deum laudamus.

In Laudibus fit commemoratio S. Petri Alexandrini.

Ant. Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.

℣. Juſtus ut palma florebit.

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Oratio.

Infirmitatem noſtram reſpice, omnipotens Deus: & quia pondus propriæ actionis gravat, beati Petri martyris tui, atque Pontificis interceſſio glorioſa nos protegat. Per Dominum.

Quæ commemoratio fit etiam in Miſſa.

Die XXVII. Novembris.

Septima die infra Octavam Præſentationis B.M.V.

In Primo Nocturno.

Lectiones de ſcriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

De Epiſtola Sancti Ambroſii Epiſcopi ad Siricium Papam.

Epiſt.81. *Lectio iv.*

De via perverſitatis prodeuntur dicere: Virgo concēpit, ſed non virgo generavit. Potuit ergo virgo concipere, non potuit virgo generare, cum ſemper conceptus præcēdat, partus ſequatur? Sed, ſi doctrinis non creditur Sacerdotum, credatur oraculis Chriſti, credatur monitis Angelorum dicentium: Quia non eſt impoſſibile Deo omne verbum. Credatur Symbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit, & ſervat. Audivit Maria vocem Angeli, & quæ ante dixerat: Quomodo fiet iſtud? non de fide generationis interrogans, reſpondit poſtea: Ecce Ancilla Domini, contingat mihi ſecundum verbum tuum.

℟. Sicut cedrus exaltata ſum in Libano, & ſicut Cypreſſus in monte Sion, quaſi myrrha electa, * Dedi ſuavitatem odoris.

℣. Sicut cinnamomum, & bal-

Digitized by Google

balſamum aromatizans. Dedi ſuavitatem.

Lectio v.

Ex Libro Sancti Hieronymi Presbyteri adverſus Jovinianum.

Ex Apolog. ad Pammachium pro lib. adverſus Jovinianum in fine.

CHriſtus Virgo, Mater Virginis noſtri, Virgo perpetua, Mater, & Virgo. Jeſus enim clauſis ingreſſus eſt oſtiis: & in ſepulchro ejus, quod novum, & in petra duriſſima fuerat exciſum, nec antea quis, nec poſtea poſitus eſt. Hortus concluſus, fons ſignatus: de quo fonte ille fluvius manat, juxta Joel, qui irrigat torrentem, vel funium, vel ſpinarum: funium, peccatorum, quibus ante alligabamur; ſpinarum, quæ ſuffocant ſementem patrisfamilias. Hæc eſt porta orientalis, ut ait Ezechiel, ſemper clauſa, & lucida, operiens in ſe, vel ex ſe proferens Sancta Sanctorum, per quam ſol juſtitiæ, & Pontifex noſter ſecundum ordinem Melchiſedech ingreditur, & egreditur.

℟. Quæ eſt iſta, quæ proceſſit ſicut ſol, & formoſa tamquam Jeruſalem? * Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & reginæ laudaverunt eam.

℣. Et ſicut dies verni circundabant eam flores roſarum, & lilia convallium. Viderunt eam.

Ex libro Sancti Irenæi Epiſcopi, & Martyris adverſus hæreſes.

Lib. 5. Cap. 19.

Lectio vi.

IN ſua propria veniente Domino, & ſua propria eum bajulante conditione, quæ bajulatur ab ipſo, & recapitulationem ejus, quæ in ligno fuit inobedientiæ, per eam, quæ in ligno eſt, obedientiam faciente, & ſeductione illa ſoluta, qua ſeducta eſt malè illa, quæ jam viro deſtinata erat, Virgo Heva, per veritatem evangelizata eſt benè ab Angelo jam ſub viro Virgo Maria. Quemadmodum enim illa per Angelicum ſermonem ſeducta eſt, ut effugeret Deum, prævaricata verbum ejus: ita hæc per Angelicum ſermonem evangelizata eſt, ut portaret Deum obediens ejus verbo. Et ſicut illa ſeducta eſt, ut effugeret Deum, ſic hæc ſuaſa eſt obedire Deo, uti Virginis Hevæ Virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodum adſtrictum eſt morte genus humanum per Virginem; ſolvatur per Virginem, æqua lance diſpoſita, virginalis inobedientia per virginalem obedientiam.

℟. Ornatam monilibus filiam

Digitized by Google

liam Jeruſalem Dominus concupivit. * Et videntes eam filiæ Sion beatiſſimam prædicaverunt dicentes: * Unguentum effuſum nomen tuum.

℣. Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate. Et videntes. Gloria. Unguentum.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tempore: Loquente Jeſu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Chryſoſtomi.

In Matth. Cap. 12. Homil. 45. poſt initium.

UNa ſola, & vera, & communis nobilitas, atque neceſſitúdo cum Chriſto eſt, ut voluntatem Dei facias: Hic propinquitatis modus multò melior illo eſt, atque uberior. Idcircò, cùm mulier quædam dixiſſet, Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti; non reſpondit, nullus me portavit venter, nec ulla ipſe ubera ſuxi: Sed, Beati qui faciunt voluntatem Patris mei. Vides quemadmodum nullibi conjunctionem hanc naturæ hominum negat, ſed addit ſemper illam, quæ à virtutibus eſt.

℟. Felix namque es, ſacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima, * Quia ex te ortus eſt ſol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter.

℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam ſanctam Præſentationem. Quia ex.

Lectio viij.

NOn dixit, ſe non habére matrem, ſed inde matrem quoque ſuam beatitudinem conſecuturam aſſeruit, ſi Patris ejus faceret voluntatem. O admirabilem honorem! O virtutis incredibiles vires quò ducitis benè viventes homines! Quot mulieres ſanctiſſimam illam Virginem beatificarunt? Quot uterum illum admirantur? Quot optarunt tales fuiſſe matres, & cętera contemnere omnia?

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens eſt, & ſanctum Nomen ejus.

℣. Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit. Gloria. Quia fecit.

Lectio ix.

QUid igitur prohibet? Ecce namque rectam, atque facilem viam nobis

Digitized by Google

bis propoſuit, ut non fœminis ſolum, verum etiam viris ad hunc ordinem pervenire liceat,immo verò etiam ad majorem. Multò enim propinquiores Deo fiunt, qui voluntatem ejus faciunt, quàm, qui ſumma carnis neceſſitudine conjunguntur. Non ergo ſimpliciter propinquitatem illam deſidera, verum etiam viam capeſſe, magnoque ſtudio confice, quæ ad hoc deſiderium te perducant.

Te Deum.

Veſp. de die Octava Præſentat. ut in primis Veſp. feſti.

Die XXVIII. Novembris.

Octava Præſentationis B. Mariæ Virginis. Duplex.

In Primo Nocturno.

Lectiones de ſcriptura occurr.

In Secundo Nocturno.

De expoſitione Sancti Gregorii Papæ in Libros Regum. *In* 1. *Regum* 1.

Lectio iv.

FUit vir unus de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim. Poteſt hujus montis nomine beatiſſima ſemper Virgo Maria Dei genitrix deſignari. Mons quippè fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis ſuæ dignitate tranſcendit. An non mons ſublimis Maria, quæ, ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem,ſupra omnes Angelorum choros, uſque ad ſolium Deitatis erexit. Hujus enim montis præcellentiſſimam dignitatem Iſaias vaticinans, ait: Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippè in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ ſupra omnes Sanctos refulſit.

℞. Sicut cedrus exaltata ſum in Libano, & ſicut cypreſſus in monte Sion: quaſi myrrha electa, * Dedi ſuavitatem odoris.

℣. Et ſicut cinnamomum,& balſamum aromatizans. Dedi ſuavitatem.

Ex Epiſtola Sancti Leonis Papæ ad Pulcheriam Auguſtam.

Epiſt. 15. *ante medium.*

Lectio v.

SAcramentum reconciliationis noſtræ ante tempora æterna diſpoſitum nullæ implebant figuræ: quia nondum ſupervenerat Spiritus Sanctus in Virginem, nec virtus Altiſſimi obumbraverat ei: ut, & intra intemerata viſcera ædificante ſibi ſapientia domum, Verbum caro fieret, & forma Dei, ac forma ſervi in unam conveniente perſonam, creator temporum naſceretur in tempore, & per quem facta ſunt omnia, ipſe inter omnia gigneretur. Niſi enim

Digitized by Google

enim novus homo factus in ſimilitudinem carnis peccati noſtram ſuſciperet vetuſtatem, & conſubſtantialis Patri, conſubſtantialis eſſe dignaretur & matri, naturamque ſibi noſtram, ſolus à peccato liber vniret, ſub jugo diaboli generaliter teneretur humana captivitas.

℟. Quæ eſt iſta, quæ proceſſit ſicut ſol, & formoſa tanquam Ieruſalem? * Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & reginæ laudaverunt eam.

℣. Et ſicut dies verni circumdabant eam flores roſarum, & lilia convallium. Viderunt eam.

De expoſitione Sancti Baſilii Epiſcopi in Iſaiam Prophetam.

In cap. 6. poſt initium.

Lectio vi.

ACceſſi, inquit, ad Propheтiſſam, & in utero accepit, & peperit filium. Quod Maria Propheтiſſa fuerit, ad quam proximè acceſſit Iſaias per prænotionem ſpiritus, nemo contradixerit, qui ſit memor verborum Mariæ, quæ prophetico afflata ſpiritu eloquuta eſt. Quid enim ait? Magnificat anima mea Dominum: Et exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quod ſi animum accõmodaveris univerſis ejus verbis; non utique per diſſidium negaveris, eam fuiſſe Prophetiſsã, quod Domini ſpiritus in eam ſupervenerit, & virtus Altiſſimi obumbraverit ei.

℟. Ornatam monilibus filiã Jeruſalem Dominus concupivit, * Et videntes eam filiæ Sion beatiſſimam prædicaverunt, dicentes: * Unguentum effuſum nomen tuum.

℣. Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Et videntes. Gloria. Unguentum.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. *Cap. 11.*

IN illo tempore: Loquente Jeſu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilía Sancti Joannis Chryſoſtomi.

In Joannem cap. 2. homil. 20. circa finem.

CUm audieris mulierem illam dicentem: Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ tu ſuxiſti: deindè Dominum reſpondentem: Quinimmò, beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

Digitized by Google

lud : ea ſententia dictum exiſtima, non quod matrem negligeret, ſed nihil ei utilitatis matris nomen allaturum oſtenderet, niſi bonitate, & fide præſtaret. Quod ſi Mariæ nihil ſine virtute materna charitas erat profutura, longè minus nobis, Patris, Fratris, Matris, Filii bonitas, niſi aliquid noſtrum afferamus.

℟. Felix namque es, ſacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima, * Quia ex te ortus eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter.

℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuā ſanctam Præſentationem. Quia ex te ortus.

Lectio viij.

IN nullo namque alio, niſi in ſolis ſui ipſius virtutibus, poſt divinam gratiam, de ſalute cuipiam ſperandum eſt. Nam ſi id profuturum erat per ſe Mariæ, profuiſſet etiā Judæis, quorum conſanguineus erat Chriſtus ſecundùm carnem, profuiſſet Civitati, in quā natus eſt, profuiſſet fratribus. Atqui, dum fratres rerum ſuarum curam habuerunt, nil eis propinquitatis nomen profuit, ſed cum reliquo mundo damnati erant.

℟. Beatam me dicent omnes generationes, * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.

℣. Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit. Gloria. Quia fecit.

Lectio ix.

TUnc autem admirationi eſſe cœperunt, quando propria claruerunt virtute: patria verò nihil indè conſequuta cecidit, & incendio abſumpta eſt. Concives miſerè interempti periére, conſanguinei ſecundùm carnem nihil ad ſalutem lucrati ſunt, deficiēte virtutis patrocinio. Verùm Apoſtoli ante omnes clariſſimi evaſérunt, cum ſe ad veram, & expetendam ejus familiaritatem, conſuetudinemque per obedientiam cōtulèrunt. Hinc intelligimus, fide ſemper nobis opus eſſe, & vita, quæ virtutibus luceat; hæc dumtaxat ſalvos nos facere poterit.

Te Deum laudamus.

Si octava Præſentationis celebretur in Adventu, 3. *Antiph. Tertii Nocturni erit* Angelus Domini, &c. *Et in Miſſa poſt* Alleluja *dic.* ℣. Ave Maria, &c. *ut in Miſſa votiva de Adventu.*

Quando prædicta dies octava Præſentationis B. M. venerit Domin. 1. Adventus, tunc ſi occurrat

currat Sabbato præcedenti celebrari feſtũ ſemid., in Veſp. Pſalmi, & Antiph. erunt de eodem ſemid., Cap. de Dom., commem. ſemidup. & deindè diei octavæ, ut in prim. veſp. feſti.

Si verò feſtum fuerit Dupl., Veſp. erunt integræ de Dupl., comm. Dom., & poſtea de octava, ut in primis Veſp. feſti. Si tandem celebratum fuerit officium de 7. die infra octav. eamdem, tunc in Veſp. Pſalmi, & Antiphonæ erunt de Pſalterio, Cap. de Dominica, & deindè commemor. diei octavæ, ut ſupra.

In fine tamen Hymnorum dicitur: Jeſu tibi ſit gloria, Qui natus es de Virgine, *qui etiam in Choro cantantur in tono Beatæ M. V., & ad Horas non dicuntur preces.*

Miſſa ſemper erit de Dominica in param. violac., cum commem. diei octavæ, & Præfatio ejusd. B. M. V.

In ſecundis autem Veſp., ſi fer. ſecunda ſequenti fiet de Dupl., tunc Veſp. erunt de ipſomet Dup. cum commem. Dominicæ, deindè diei octavæ.

Si verò fiet de ſemid., tunc Veſperæ erunt de Dominica, cum commem. priùs diei octavæ, deindè de Semid.

Si tandem fiet de feria, Veſp. erunt de Dominica, cum comm. diei octavæ.

Quæ etiam rubricæ reſpectivè obſervari debent in octava Purificationis B. M. V. quandò ejus dies octavæ venerit in aliqua Dominica privilegiata.

Quando verò octava advenerit feria quarta Cinerum, ſi ſit aliqua dies infra octavam, tunc completo officio feriæ tertiæ præcedentis, ſive ſit de Sancto, ſive de die infra ipſam octavam, ſtatim deperditur octava abſolutè quoad omnia.

Si verò ſit dies octavæ, tunc completa nona feriæ tertiæ, ſive officium ſit de Sancto, ſive de eadem octava, deperditur octava quoad omnia ſimiliter. Ita Sac. Rituum Congr. decrevit die 6. Decembris 1622.

FESTA DECEMBRIS

Die VIII. Decembris.

CONCEPTIO B. M. V.

Duplex ſecundæ Claſſis cum octava.

Omnia dicuntur, ut in Breviario Romano adaptantur, ubi habetur etiam octava, ideòque hìc omittitur.

Notandum ſolummodò eſt, quod in tota hac octava Hymni ejusd. metri terminantur ℣. Jeſu tibi ſit gloria, Qui natus es, &c. *& in tono B. M.*

Hoc idem ſervandum eſt, nedum in officio de octava, & de Sanctis occurrentibus infra eandem octavam, verùm etiam in officio de tempore Adventus, ut quando dicitur Hymnus: Creator alme ſiderum.

OFFI

Digitized by Google

OFFICIUM
SACRATISSIMI CORPORIS CHRISTI

Recitandum ſub ritu ſemiduplici qualibet feria quinta extra Adventum, Quadrageſimam, ac Vigilias.

AD VESPERAS

Ant. Sacerdos in æternum.

Pſalm. 109.

DIxit Dominus Domino meo : * ſede à dextris meis.

Donec ponã inimicos tuos,* ſcabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion:* dominare in medio inimicorum tuorũ.

Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus Sanctorum ; * ex utero ante Luciferum genui te.

Juravit Dominus,& non pœnitebit eum : * Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.

Dominus à dextris tuis, * cõfregit in die iræ ſuæ reges.

Judicabit in nationibus, implebit ruinas : * conquaſſabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet : * propterea exaltabit caput.

Ant. Sacerdos in æternum Chriſtus Dominus ſecundùm ordinem Melchiſedech, panem, & vinum obtulit.

Ant. Miſerator Dñs. *Pſ.* 110.

COnfitebor tibi Domine in toto corde meo: * in conſilio juſtorum, & congregatione.

Magna opera Domini : * exquiſita in omnes voluntates ejus.

Confeſſio, & magnificentia opus ejus : * & juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi.

Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors, & miſerator Dominus: * eſcam dedit timentibus ſe.

Memor erit in ſeculum teſtamenti ſui: * virtutem operum ſuorum annuntiabit populo ſuo.

Ut det illis hæreditatem gentium : * opera manuum ejus, veritas, & judicium.

Fidelia omnia mandata ejus: confirmata in ſeculum ſeculi, * facta in veritate,& æquitate.

Redemptionem miſit populo ſuo;* mandavit in æternum teſtamentum ſuum.

Sanctum, & terribile nomen ejus: * initium ſapientiæ timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum : * laudatio ejus manet in ſeculum ſeculi.

Antiph. Miſerator Dominu.

Digitized by Google

eſcam dedit timentibus ſe in memoriam ſuorum mirabilium.

Antiph. Calicem ſalutaris accipiam.

Pſalmus 115.

CRedidi, propter quod locutus ſum: * Ego autem humiliatus ſum nimis.

Ego dixi in exceſſu meo: * omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino, * pro omnibus, quæ retribuit mihi.

Calicem ſalutaris accipiam;* & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: * pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.

O Domine, quia ego ſervus tuus: * Ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupiſti vincula mea: * tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi ejus: * in atriis domus Domini, in medio tui Jeruſalem.

Antiph. Calicem ſalutaris accipiam, & ſacrificabo hoſtiam laudis.

Antiph. Sicut novellæ olivarum.

Pſalmus 127.

BEati omnes, qui timent Dominum, * qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum quia manducabis: * beatus es, & benè tibi erit,

Uxor tua ſicut vitis abundans, * in lateribus domus tuæ.

Filii tui ſicut novellæ olivarum, * in circuitu menſæ tuæ.

Ecce ſic benedicetur homo, * qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion: * & videas bona Jeruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum,* pacem ſuper Iſrael.

Antiph. Sicut novellæ olivarum, Eccleſiæ filii ſint, in circuitu menſæ Domini.

Antiph. Qui pacem ponit.

Pſalmus 47.

LAuda Jeruſalem Dominum: * lauda Deum tuum Sion.

Quoniam confortavit ſeras portarum tuarum:* benedixit filiis tuis in te.

Qui poſuit fines tuos pacem: * & adipe frumenti ſatiat te.

Qui emittit eloquium ſuum terræ; * velociter currit ſermo ejus.

Qui dat nivem ſicut lanam:* nebulam ſicut cinerem ſpargit.

Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas: * antè faciem frigoris ejus quis ſuſtinebit.

Emittet verbum ſuum,& liquefaciet ea: * flabit ſpiritus ejus,

Digitized by Google

ejus, & fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum ſuum Jacob: * juſtitias, & judicia ſua Iſrael.

Non fecit taliter omni nationi: * & judicia ſua non manifeſtavit eis.

Antiph. Qui pacem ponit fines Eccleſiæ, frumenti adipe ſatiat nos Dominus.

Capitulum. 1. Cor. 11. c.

FRatres, ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jeſus, in qua nocte tradebatur, accepit panẽ, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.

Hymnus.

PAnge lingua glorioſi
Corporis myſterium,
Sanguiniſque pretioſi,
Quem in mundi pretium,
Fructus ventris generoſi
Rex effudit Gentium.
Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine,
Et in mundo converſatus,
Sparſo Verbi ſemine,
Sui moras incolatus
Miro clauſit ordine.
In ſupremæ nocte cœnæ
Recumbens cum fratribus,
Obſervata lege plenè
Cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat ſuis manibus.
Verbum caro, panem verum
Verbo carnem efficit:
Fitque ſãguis Chriſti merũ,
Et ſi ſenſus deficit:
Ad firmandum cor ſincerum
Sola fides ſufficit.
Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui:
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui:
Præſtet fides ſupplementum
Senſuum defectui.
Genitori, Genitóque
Laus, & jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit, & benedictio:
Procedenti ab utroque
Compar ſit laudatio.
Amen.

℣. Panem de Cœlo præſtitiſti eis.

℟. Omne delectamentum in ſe habentem.

Ad Magnificat, Antiphona.

O quam ſuavis eſt, Domine, ſpiritus tuus, qui, ut dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſuaviſſimo de Cœlo præſtito, eſurientes reples bonis, faſtidioſos divites dimittens inanes. *Oratio.*

DEus, qui nobis ſub Sacramento mirabili paſſionis tuæ memoriam reliquiſti: tribue, quæſumus, ita nos Corporis, & Sanguinis tui ſacra myſteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter ſentiamus. Qui vivis &c.

Digitized by Google

Ad Completorium, & per Horas, finis Hymnorum erit. Jeſu tibi ſit gloria, qui natus es de Virgine, *dummodo ſaltem in Veſperis fiat commem. de Corpore Chriſti, & Hymni feſtorum, tam feriæ quartæ, quam ſextæ proprium non habeant ultimum verſum.*

Ad Matutinum Invitatorium. Chriſtum Regem adoremus dominantem gentibus, * Qui ſe manducantibus dat ſpiritus pinguedinem. Chriſtum Regem &c. *Pſal.* Venite &c.

Hymnus S. Thomæ.

Sacris ſolemniis juncta ſint
 gaudia,
Et ex præcordiis ſonent præ-
 conia:
Recedant vetera, nova ſint
 omnia,
Corda, voces, & opera.
Noctis recolitur cœna noviſ-
 ſima,
Qua Chriſtus creditur agnū,
 & azyma
Dediſſe fratribus, juxta le-
 gitima
Priſcis indulta Patribus.
Poſt Agnum typicum, exple-
 tis epulis,
Corpus Dominicum datum
 diſcipulis,
Sic totum omnibus, quod
 totum ſingulis
Ejus fatemur manibus.
Dedit fragilibus corporis fer-
 culum,
Dedit & triſtibus ſanguinis
 poculum,
Dicens, accipite quod trado
 vaſculum,
Omnes ex eo bibite.
Sic ſacrificium iſtud inſtituit,
Cujus officium committi vo-
 luit
Solis Presbyteris, quibus ſic
 congruit,
Ut ſumant, & dent cæteris.
Panis Angelicus fit panis ho-
 minum,
Dat panis cælicus figuris ter-
 minum:
O res mirabilis! manducat
 Dominum
Pauper ſervus, & humilis.
Te Trina Deitas, unaque po-
 ſcimus,
Sic nos tu viſita, ſicut te co-
 limus,
Per tuas ſemitas duc nos,
 quò tendimus,
Ad lucem, quam inhabitas.
 Amen.

In Primo Nocturno.

Ant. Fructum ſalutiferum.

Pſalmus 1.

Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit: * & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.

Sed in lege Domini voluntas ejus, * & in lege ejus meditabitur die, ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum: * quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.

Et

Digitized by Google

Et folium ejus non defluet:* & omnia quæcumque faciet, proſperabuntur.

Non ſic impii, non ſic: * ſed tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.

Ideo non reſurgent impii in judicio: * neque peccatores in concilio juſtorum.

Quoniam novit Dominus viam juſtorum: * & iter impiorum peribit.

Antiph. Fructum ſalutiferum guſtandum dedit Dominus mortis ſuæ tempore.

Antiph. A fructu frumenti.

Pſalmus 4.

CUm invocarem exaudivit me Deus juſtitiæ meæ: * in tribulatione dilataſti mihi.

Miſerere mei, * & exaudi orationem meam.

Filii hominũ uſquequo gravi corde? * Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

Et ſcitote quoniam mirificavit Dominus ſanctũ ſuum:* Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Iraſcimini, & nolite peccare: * quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.

Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino: * multi dicunt: quis oſtendit nobis bona?

Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine:* dediſti lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, & olei ſui: * multiplicati ſunt.

In pace in idipſum, * dormiam, & requieſcam.

Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe,*conſtituiſti me.

Antiph. A fructu frumenti, & vini multiplicati fideles in pace Chriſti requieſcunt.

Antiph. Communione Calicis.

Pſalmus 15.

COnſerva me Domine, quoniam ſperavi in te:* Dixi Domino: Deus meus es tu,quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui ſunt in terra ejus: * mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum: * poſtea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de ſanguinibus: * nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: * tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in præclaris: * etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum.*inſuper & uſque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Digitized by Google

Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper:*quoniam à dextris eſt mihi, ne commovear.

Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea: * inſuper, & caro mea requieſcet in ſpe.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno: * nec dabis ſanctum tuum vidére corruptionem.

Notas mihi feciſti vias vitæ,adimplebis me lætitia cum vultu tuo: * delectationes in dextera tua uſque in finem.

Antiph. Communione Calicis, quo Deus ipſe ſumitur, non vitulorum ſanguine congregavit nos Dominus.

℣. Panem Cœli dedit eis.

℟. Panem Angelorum manducavit homo.

Lectiones Primi Nocturni de Scriptura occurrente.

℟. 1. Immolabit hædum multitudo filiorum Iſrael ad veſperam Paſchæ:*Et edent carnes, & azymos panes.

℣. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: itaque epulemur in azymis ſinceritatis, & veritatis. Et edent.

℟. 2. Comedétis carnes, & ſaturabimini panibus: * Iſte eſt panis, quem dedit vobis Dominus ad veſcendum.

℣. Non Moyſes dedit vobis panem de Cœlo,ſed Pater meus dat vobis panem de Cœlo verum. Iſte eſt.

℟. 3. Reſpexit Elias ad caput ſuum ſubcinericium panem: qui ſurgens comédit, & bibit:* Et ambulavit in fortitudine cibi illius uſque ad montem Dei.

℣. Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum. Et ambulavit. Gloria. Et ambulavit.

In Secundo Nocturno.

Ant. Memor ſit Dominus.

Pſalmus 19.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis: * protegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxilium de ſancto: * & de Sion tueatur te.

Memor ſit omnis ſacrificii tui: * & holocauſtum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi ſecundum cor tuum: * & omne conſilium tuum confirmet.

Lætabimur in ſalutari tuo: * & in nomine Dei noſtri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petiones tuas: * nunc cognovi, quoniam ſalvum fecit Dominus Chriſtum ſuum.

Exaudiet illum de Cœlo ſancto ſuo: * in potentatibus ſalus dexteræ ejus.

Hi in curribus, & hi in equis: * nos autem in nomine Domini Dei noſtri invocabimus.

Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt:*

Digitized by Google

runt:* nos autem ſurreximus, & erecti ſumus.

Domine ſalvum fac regem:* & exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

Antiph. Memor ſit Dominus ſacrificii noſtri, & holocauſtum noſtrum pingue fiat.

Antiph. Paratur nobis.

Pſalmus 22.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit:* in loco paſcuæ ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me:* animam meam convertit.

Deduxit me ſuper ſemitas juſtitiæ:* propter nomen ſuum.

Nam & ſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala:* quoniam tu mecum es.

Virga tua,& baculus tuus:* ipſa me conſolata ſunt.

Paraſti in conſpectu meo menſam,* adverſus eos, qui tribulant me.

Impinguaſti in oleo caput meum:* & calix meus inebrians, quàm præclarus eſt!

Et miſericordia tua ſubſequétur me:* omnibus diebus vitæ meæ.

Et ut inhabitem in domo Domini,* in longitudinem dierum.

Ant. Paratur nobis menſa Domini adverſus omnes, qui tribulant nos.

Ant. In voce exultationis.

Pſalm. 41.

Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum,* ita deſiderat anima mea ad te Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum:* quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte:* dum dicitur mihi quotidiè: Ubi eſt Deus tuus.

Hæc recordatus ſum, & effúdi in me animam meam:* quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei.

In voce exultationis, & confeſſionis,* ſonus epulantis.

Quare triſtis es anima mea?* & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi:* ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Ad meipſum anima mea conturbata eſt:* propterea memor ero tui de terra Jordanis, & Hermoniim à monte modico.

Abyſſus abyſſum invocat,* in voce cataractarum tuarũ.

Omnia excelſa tua,& fluctus tui,* ſuper me tranſierunt.

In die mandavit Dominus miſericordiam ſuam,* & nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitæ

 meæ:*

Digitized by Google

meæ: * dicam Deo: Suſceptor meus es.

Quarè oblitus es mei? * & quarè cõtriſtatus incédo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur oſſa mea, * exprobraverunt mihi qui tribulant me, inimici mei.

Dum dicunt mihi per ſingulos dies: Ubi eſt Deus tuus? * quarè triſtis es anima mea? & quarè conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Ant. In voce exultationis reſonent epulantes in menſa Domini.

℣. Cibavit illos ex adipe frumenti.

℟. Et de petra, melle ſaturavit eos.

Lectiones 2. Noct. cum ſuis ℟℟. vide infra ad ſingulos menſes.

In Tertio Nocturno.

Ant. Introíbo ad altare Dei.

Pſalm. 42.

JUdica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta, * ab homine iniquo, & doloſo erue me.

Quia tu es Deus fortitudo mea: * quarè me repuliſti? & quarè triſtis incédo, dum affligit me inimicus.

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: * ipſa me deduxerunt, & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua.

Et introíbo ad altare Dei, * ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus: * quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me.

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Ant. Introíbo ad altare Dei, ſumam Chriſtum, qui renovat juventutem meam.

Ant. Cibavit nos.

Pſalm. 80.

EXultate Deo adjutori noſtro: * jubilate Deo Jacob.

Sumite pſalmum, & date tympanum: * pſalterium jucundum cum cithara.

Buccinate in Neomenia tuba: * in inſigni die ſolemnitatis véſtræ.

Quia præceptum in Iſrael eſt: * & judicium Deo Jacob.

Teſtimonium in Joſeph poſuit illud, cum exiret de terra Ægypti: * linguam, quam non noverat, audivit.

Divertit ab oneribus dorsũ ejus: * manus ejus in cophino ſervierunt.

In tribulatione invocaſti me, & liberavi te: * exaudivi te in abſcõdito tempeſtatis, probavi te apud aquam contradictionis.

Audi populus meus, & conteſtabor te: * Iſrael, ſi audieris me, non erit in te Deus

recens,

Digitized by Google

receris, neque adorabis Deum alienum.

Ego enim ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti : * dilata os tuum, & implebo illud.

Et nõ audivit populus meus vocem meam : * & Iſrael non intendit mihi.

Et dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum, * ibunt in adinventionibus ſuis.

Si populus meus audiſſet me, * Iſrael ſi in viis meis ambulaſſet.

Pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem,* & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam.

Inimici Domini mentíti sũt ei,* & erit tempus eorum in ſecula.

Et cibavit eos ex adipe frumenti : * & de petra, melle ſaturavit eos.

Ant. Cibavit nos Dominus ex adipe frumenti : & de petra, melle ſaturavit nos.

Ant. Ex altari tuo Domine.

Pſalm. 83.

QUàm dilecta tabernacula tua, Domine, virtutum ! * concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, & caro mea, * exultaverunt in Deum vivũ.

Etenim paſſer invénit ſibi domum : * & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos.

Altaria tua Domine virtutum : * Rex meus, & Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua Domine:* in ſecula ſeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus eſt auxiliũ abs te : * aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum, in loco, quem poſuit.

Etenim benedictionem dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutem:* videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam : * auribus percipe Deus Jacob.

Protector noſter aſpice, Deus, * & reſpice in faciem Chriſti tui.

Quia melior eſt dies una in atriis tuis, * ſuper millia.

Elégi abjectus eſſe in domo Dei mei, * magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia miſericordiam, & veritatem diligit Deus : * gratiam, & gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia:* Domine virtutum, beatus homo, qui ſperat in te.

Ant. Ex Altari tuo Domine Chriſtum ſumimus : in quem cor, & caro noſtra exultant.

℣. Educas panem de terra.

℟. Et vinum lætificet cor hominis.

Re-

Digitized by Google

Lectiones 3. Noct., & Reſponſoria ponuntur ſuis locis inferiùs.

Ad Laudes, & per Horas.

Ant. Sapientia ædificavit ſibi domum, miſcuit vinum, & poſuit menſam.

Pſalm. Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominica.*

Ant. Angelorum eſca nutriviſti populum tuum, & panem de Cœlo præſtitiſti eis.

Ant. Pinguis eſt panis Chriſti, & præbebit delicias Regibus.

Ant. Sacerdotes Sancti inceſum, & panes offerunt Deo.

Ant. Vincenti dabo manna abſconditum, & nomen novũ.

Capitulum. 1. *Cor.* 11.

FRatres, ego enim accépi à Domino, quod & tradidi vobis: quoniam Dominus Jeſus, in qua nocte tradebatur, accépit panẽ, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate: Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem.

Hymnus.

VErbum ſupernum prodiens,
Nec Patris linquens dexterã,
Ad opus ſuum exiens,
Venit ad vitæ veſperam.
In mortem à diſcipulo
Suis tradendus emulis,
Priùs in vitæ ferculo
Se tradidit diſcipulis.
Quibus ſub bina ſpecie
Carnem dedit, & ſanguinem,
Ut duplicis ſubſtantiæ
Totum cibaret hominem.
Se naſcens dedit ſocium,
Conveſcens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium.
O ſalutaris Hoſtia,
Quæ Cœli pandis oſtium:
Bella premunt hoſtilia,
Da robur, fer auxilium.
Uni, trinoque Domino
Sit ſempiterna gloria,
Qui vitam ſine termino
Nobis donet in patria. Amẽ.

℣. Poſuit fines tuos pacem.
℟. Et adipe frumẽti ſatiat te.

Ad Benedictus. Antiph.

Ego ſum panis vivus, qui de Cœlo deſcendi: ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.

Oratio.

DEus, qui nobis ſub Sacramento mirabili paſſionis tuæ memoriam reliquiſti: tribue, quæſumus, ita nos corporis, & ſanguinis tui ſacra myſteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter ſentiamus. Qui vivis, & regnas, &c.

Ad Primam ℟. *brev.* Chriſte fili Dei vivi miſerere nobis. Chriſte. Qui natus es de Maria virgine, &c.

Ad Tertiam Ant. Angelorum eſca. *Cap.* Fratres, &c.

℟. *brev.* Panem Cœli * dedit eis. Panem cœli.

℣. Pa-

Digitized by Google

℣. Panem Angelorum manducavit homo. Dedit. Gloria. Panem.

℣. Cibavit illos ex adipe frumenti.

℟. Et de petra, melle ſaturavit eos.

Ad Sextam Ant. Pinguis eſt.

Capit. 1. *Cor.* 11.

Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibétis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.

℟. *bre.* Cibavit illos, * ex adipe frumenti. Cibavit illos.

℣. Et de petra, melle ſaturavit eos. Ex adipe. Gloria. Cibavit.

℣. Educas panem de terra.

℟. Et vinum lætificet cor hominis.

Ad Nonam Ant. Vincenti.

Capit. 1. *Cor.* 11.

Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè: reus erit Corporis, & Sanguinis Domini.

℟. *bre.* Educas panem * de terra. Educas. ℣. Et vinum lætificet cor hominis. De terra. Gloria. Educas.

℣. Poſuit fines tuos pacem.

℟. Et adipe frumēti ſatiat te.

In ſecundis Veſperis omnia, ut in primis.

Ad Magnificat. Antiph.

O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur; recolitur memoria paſſionis ejus; mens implétur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

Oratio, ut ſupra.

Extra tempus Paſchale totum prædictum officium dicitur, ut ſupra jacet extenſum ſine alleluja. Ita Sac. Rituum Congr. nobis reſpondit anno 1662.

Tempore Paſchali dicitur ad modum ejuſdem temporis Paſchalis, ut ſit in aliis ſemiduplicibus. In fine verò Hymn. & in ℣. *ad* ℟. *brev. Primæ dicitur:* Qui natus es de Virgine, *ut ſupra.*

Miſſa ſemper erit, quæ in miſſali eſt inter votivas, cum Gloria in excelſis Deo. *Præfat. Nativ. Domini, & orationibus, ut in aliis ſemidupl. ſecundùm differentiam temporum. Et hæc eadem Miſſa dicitur etiam tempore Paſch. cum duobus tantùm alleluja poſt Introitum, ut ſit in aliis Miſſis.*

Lectiones dicendæ ſingulis menſibus in Secundo, & Tertio Nocturno. In primo enim ſemper dicuntur de ſcriptura occurrente.

MENSE JANUARIO

In Secundo Nocturno.

Sermo S. Thomæ Aquinátis, *In opuſc.* 57. *Lectio iv.*

Immenſa divinæ largitatis beneficia, exhibita populo Chriſtiano, inæſtimábilem ei conferunt dignitatem. Neque enim eſt, aut fuit aliquā-do

do tam grandis natio, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut adeſt nobis Deus noſter. Unigenitus ſiquidem Dei filius, ſuæ divinitatis volens nos eſſe participes, naturam noſtram aſſumpſit, ut homines Deos faceret factus homo. Et hoc inſuper, quod de noſtro aſſumpſit, totum nobis contulit ad ſalutem. Corpus namque ſuū pro noſtra reconciliatione, in ara Crucis hoſtiam obtulit Deo Patri: ſanguinem ſuum fudit, in pretium ſimul, & lavacrū: ut redempti à miſerabili ſervitute à peccatis omnibus mundaremur.

℟. Cœnantibus illis accépit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: * Accipite, & comedite, hoc eſt Corpus meū.

℣. Dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus, ut ſaturémur? Accipite.

Lectio v.

Ut autem tanti beneficii jugis in nobis manéret memoria; Corpus ſuum in cibum, & Sanguinem ſuum in potum, ſub ſpecie panis, & vini ſumendum, fidelibus dereliquit. O pretioſum, & admirandum convivium, ſalutiferum, & omni ſuavitate replétum! Quid enim hoc convivio pretioſius eſſe poteſt? in quo, non carnes vitulorum, & hircorum, ut olim in lege, ſed nobis Chriſtus ſumendus proponitur verus Deus.

℟. Accépit Jeſus calicem, poſtquam cœnavit, dicens: Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine: * Hoc facite in meam commemorationem.

℣. Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea. Hoc facite.

Lectio vi.

Quid hoc Sacramento mirabilius? In ipſo namque panis, & vinum in Chriſti Corpus, & Sanguinē ſubſtantialiter convertuntur: ideòque Chriſtus Deus, & homo perfectus ſub modici panis, & vini ſpecie continetur. Manducatur itaque à fidelibus, ſed minimè laceratur: quinimmò, diviſo Sacramento, ſub qualibet diviſionis particula integer perſevérat. Accidentia autem ſine ſubjecto in eodem ſubſiſtunt, ut fides locum habeat, dum viſibile inviſibiliter ſumitur aliena ſpecię occultatum: & ſenſus à deceptione reddantur immúnes, qui de accidentibus judicant ſibi notis.

℟. Ego ſum panis vitæ: patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt: * Hi

Hic eſt, panis de cœlo deſcendens, ut, ſi quis ex ipſo manducet non moriatur.

℣. Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi: ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Hic eſt. Gloria Patri. Hic eſt.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii ſecundùm Joannem.

Lectio vij. *Cap. 6.*

IN illo tempore: Dixit Jeſus turbis Judæorum: Caro mea verè eſt cibus: & ſanguis meus verè eſt potus. Et reliqua.

Homilia Sancti Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 26. in Joannem ſub finem.

CUm cibo, & potu id appetant homines, ut neque eſuriant, neque ſitiant: hoc veraciter non præſtat, niſi iſte cibus, & potus, qui eos, à quibus ſumitur, immortales, & incorruptibiles facit: id eſt ſocietas ipſa ſanctorum, ubi pax erit, & unitas plena, atque perfecta. Propterea quippè, ſicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noſter Jeſus Chriſtus corpus, & ſanguinem ſuum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis confit: aliud in unum ex multis acinis confluit. Denique jam exponit quomodo id fiat, quod loquitur: & quid ſit manducare corpus ejus, & ſanguinem bibere.

℟. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, * In me manet, & ego in eo.

℣. Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis. In me manet.

Lectio viij.

QUi manducat carnem meam, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Hoc eſt ergo manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manére, & illum manentem in ſe habére. Ac per hoc, qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubio nec manducat ſpiritaliter carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem, licet carnaliter, & viſibiliter premat dentibus Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti: Sed magis tantæ rei Sacramentum ad judicium ſibi manducat, & bibit, quia immundus præſumpſit ad Chriſti accedere Sacramenta, quæ aliquis non dignè ſumit, niſi qui mundus eſt; de quibus dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.

℟. Miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem; *

Et

Et qui mandúcat me vivet propter me.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectûs. Et qui. Gloria Patri. Et qui.

Lectio ix.

SIcut, inquit, miſit mè vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui mandúcat me, & ipſe vivet propter me. Ac ſi diceret: Ut ego vivam propter Patrem, ideſt, ad illum tamquam majorem, referam vitam meam, exinanítio mea fecit, in qua me miſit: Ut autem quisquam vivat propter me, participatio facit, qua mandúcat me. Ego itaque humiliatus vivo propter Patrem: ille erectus vivit propter me. Si autem ita dictum eſt. Vivo propter Patrem, quia ipſe de illo, non ille de ipſo eſt: ſine detrimento æqualitatis dictum eſt. Nec tamen dicendo. Et qui mandúcat me, & ipſe vivet propter me, eamdem ſuam, & noſtram æqualitatem ſignificavit, ſed gratiam mediatóris oſtendit. Te Deum.

MENSE FEBRUARIO.

In Secundo Nocturno.

Sermo Sancti Thomæ Aquinátis.

In eodem opuſculo 57.

Lectio iv.

NUllum etiam Sacramentum eſt iſto ſalubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur, & mens omnium ſpiritualium chariſmatum abundantià impinguatur. Offertur in Eccleſia pro vivis, & mortuis: ut omnibus proſit, quod eſt pro ſalute omnium inſtitutum. Suavitatem denique hujus Sacramenti nullus exprimere ſufficit, per quod ſpiritualis dulcédo in ſuo fonte guſtatur: & recolitur memoria illíus, quam in ſua paſſione Chriſtus monſtravit, excellentiſſimæ charitatis.

℟. Cœnantibus illis, accépit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: * Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum.

℣. Dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus, ut ſaturémur. Accipite.

Lectio v.

UNde, ut arctiùs hujus charitatis immenſitas fidelium cordibus inſigerétur; in ultima cœna, quando, Paſcha cum diſcipulis celebrato, tranſiturus erat de hoc mundo ad Patrem, hoc Sacramentum inſtituit, tamquam paſſionis ſuæ memoriale perenne, figurarum veterum impletivum, miraculorum ab ipſo factorum maximum; & de ſua contriſtatis abſentia ſolatium ſingulare relíquit.

℟. Accépit Jeſus calicem poſt-

Digitized by Google

poſtquam cœnavit dicens: Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine: * Hoc facite in meam commemorationem.

℣. Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea. Hoc facite.

Lectio vi.

Convenit itaque devotioni fidelium, ſolemniter recolere inſtitutionem tam ſalutiferi, tamque mirabilis ſacramẽti: ut ineffabilem modum divinæ præſentiæ in Sacramento viſibili veneremur: & laudetur Dei potentia, quæ in Sacramento eodem tot mirabilia operatur: necnon & de tam ſalúbri, tamque ſuávi beneficio exolvantur Deo gratiarum debitæ actiones. Verum, etſi in die Cœnæ, quando Sacramentum prædictum noſcitur inſtitutum, inter Miſſarum ſolemnia, de inſtitutione ipſius ſpecialis mentio habeatur: totum tamen reſiduum ejuſdem diei officiũ ad Chriſti paſſionem pertinet, circa cujus venerationem Eccleſia illo tempore occupatur.

℟. Ego ſum panis vitæ: patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt: * Hic eſt panis de cœlo deſcendens, ut, ſi quis ex ipſo mandúcet, non moriátur.

℣. Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi: ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Hic eſt. Gloria. Hic eſt.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii ſecundùm Joannem.

Lectio vij. *Cap. 6.*

In illo tempore: dixit Jeſus turbis Judæorum: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Et reliqua.

De Homilía Sancti Auguſtini Epiſcopi.

Tractatu 27. in Joannem.

Verba Domini ex Evangelio, quæ ſermonem priſtinum conſequuntur, audivimus. Hinc ſermo debetur auribus, & mentibus veſtris, & hodierna die non importúnus eſt; eſt enim de corpore Domini, quod dicebat ſe dare ad manducandum propter æternam vitam. Expoſuit autem modum attributionis hujus, & doni ſui, quomodo daret carnem ſuam manducare, dicens: Qui mandúcat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in illo. Signum quia manducavit, & bibit, hoc eſt, ſi manet, & manetur, ſi habitat, & inhabitatur, ſi hæret, ut non deſeratur.

℟. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, * In me manet, & ego in eo.

℣. Non

Digitized by Google

℣. Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis. In me manet.

Lectio viij.

Hoc ergo nos docuit, & admonuit myſticis verbis, ut ſimus in ejus corpore, ſub ipſo capite, in membris ejus, edentes carnem ejus, non relinquentes unitatem ejus. Sed qui aderant, plures non intelligendo ſcandalizati ſunt: non enim cogitabant hæc audiendo, niſi carnem, quod ipſi erant. Apoſtolus autem dicit, & verum dicit: ſapere ſecundum carnem, mors eſt. Carnem ſuam dat nobis Dominus manducare: & ſapere ſecundum carnem mors eſt: cùm de carne ſua dicat, quia ibi eſt vita æterna. Ergo nec carnem debemus ſapere ſecundum carnem, ſicut in his verbis: multi itaque audientes, non ex inimicis, ſed ex diſcipulis ejus dixerũt: Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?

℟. Miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: * Et qui mandúcat me, vivet propter me.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectûs. Et qui. Gloria Patri. Et qui.

Lectio ix.

Si diſcipuli durum habuerunt iſtum ſermonem, quid inimici? Et tamen ſic oportebat ut diceretur, quod non ab omnibus intelligeretur. Secretum Dei intentos debet facere, non adverſos. Iſti autem citò defecerunt, talia loquente Domino Jeſu Chriſto. Non crediderunt aliquid magnum dicentem, & verbis illis aliquam gratiam cooperientem: ſed prout voluerunt, ita intellexerunt, & more hominum: quia poterat Jeſus, aut hoc diſponebat Jeſus, carnem, qua indutum erat Verbum, veluti conciſſam, diſtribuere credentibus in ſe. Durus eſt, inquiunt, hic ſermo, quis poteſt eum audire?

Te Deum laudamus.

MENSE MARTIO.

In Secundo Nocturno.

Sermo Sancti Ambroſii Epiſcopi.

Libro de his, qui myſteriis initiantur. Cap. 8. circ. fin.

Lectio iv.

Re vera mirabile eſt, quod mãna Deus pluerit patribus, & quotidiano cœli paſcebantur alimento. Unde dictum eſt: Panem Angelorum manducavit homo. Sed tamen panem illum, qui manducaverunt, omnes in deſerto mortui ſunt: Iſta autem eſca, quam accipis, iſte panis vivus, qui deſcendit de cœlo, vitæ æternæ ſubſtantiam ſubmini-

Digitized by Google

miniſtrat; & quicumque hunc manducaverit, non morietur in æternum: & eſt Corpus Chriſti.

℟. Cœnantibus illis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: * Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum. ℣. Dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus, ut ſaturemur? Accipite.

Lectio v.

CONſidera nunc, utrum præſtantior ſit, panis Angelorum, an caro Chriſti, quæ utique corpus eſt vitæ. Manna illud è cœlo, hoc ſupra cœlum: Illud cœli, hoc Domini cœlorum: Illud corruptioni obnoxium, ſi in diem alterum ſervaretur; hoc alienum ab omni corruptione, quod quicumque religiosè guſtaverit, corruptionem ſentíre non poterit. Illis aqua de petra fluxit, tibi ſanguis è Chriſto: Illos ad horam ſatiavit aqua, te ſanguis Chriſti diluit in æternum. Judæus bibit, & ſitit: tu, cùm biberis, ſitíre non poteris: Et illud in umbra, hoc in veritate.

℟. Accepit Jeſus calicem, poſtquam cœnavit, dicens: Hic calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine. * Hoc facite in meam commemorationem. ℣. Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea. Hoc facite.

Lectio vi.

SI illud quod miraris, umbra eſt; quantum iſtud eſt, cujus & umbram miraris? Audi quia umbra eſt, quæ apud patres facta eſt. Bibebant, inquit, de conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus. Sed non in pluribus eorum complacitum eſt Deo; nam proſtrati ſunt in deſerto. Hæc autem in figura facta ſunt noſtra. Cognoviſti præſtantiora; Potior eſt enim lux quam umbra, veritas, quam figura, corpus auctoris, quam manna de cœlo. Fortè dicas: aliud video, quomodo tu mihi aſſeris, quod Chriſti Corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc ſupereſt, ut probemus.

℟. Ego ſum panis vitæ: patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt. * Hic eſt panis de cœlo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur. ℣. Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi: ſi quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum. Hic eſt. Gloria, Hic eſt.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Joannem.

Lectio vij. *Cap. 6.*

IN illo tempore: Dixit Jeſus turbis Judæorum: Caro

ro mea verè eſt cibus , & ſanguis meus verè eſt potus . Et reliqua .

De Homilſa Sancti Auguſtini Epiſcopi .

Tract. 27. in Joannem ante medium .

DIximus, Fratres, hoc Dominum commendaſſe in manducatione carnis ſuæ & potatione ſanguinis ſui , ut in illo maneamus, & ipſe in nobis . Manemus autem in illo , cùm ſumus membra ejus: manet autem ipſe in nobis , cùm ſumus templum ejus . Ut autem ſimus membra ejus , unitas nos compaginat . Ut compaginet unitas , quæ facit, niſi charitas ? Et charitas Dei unde ? Apoſtolum interroga: Charitas , inquit, Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum , qui datus eſt nobis .*

℟. Qui manducat meam carnem , & bibit meum ſanguinem:* In me manet, & ego in eo .

℣. Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis . In me .

Lectio viij.

ERgo ſpiritus eſt qui viviſicat : Spiritus enim facit viva membra . Nec viva membra ſpiritus facit, niſi quæ in corpore, quod vegetat ipſe ſpiritus, invenerit . Nam ſpiritus qui eſt in te , ò homo , quo conſtas, ut homo ſis, numquid viviſicat membrū , quod ſeparatum invenerit à carne tua ? Spiritum dico , animam tuam : Anima tua non viviſicat niſi membra , quæ ſunt in carne tua; unum ſi tollas, jam non viviſicatur ex anima tua, quia unitati corporis tui non copulatur .

℟. Miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem , * Et qui manducat me , vivet propter me .

℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ , & intellectus . Et qui . Gloria Patri . Et qui .

Lectio ix.

HÆc dicuntur ut amemus unitatem, & timeamus ſeparationem . Nihil enim ſic debet formidare Chriſtianus , quā ſeparari à corpore Chriſti . Si enim ſeparatur à corpore Chriſti , non eſt membrum ejus ; ſi non eſt membrum ejus, non vegetatur ſpiritu ejus : Quiſquis autem , inquit Apoſtolus , ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus. Spiritus ergo eſt qui viviſicat , caro autem non prodeſt quidquam . Verba , quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt. Quid eſt, ſpiritus , & vita ſunt ? Spiritaliter intelligenda ſunt. Intellexiſti ſpiritaliter ? Spiritus, & vita ſunt. Intellexiſti carnaliter?

Digitized by Google

ter? Etiam ſic illa ſpiritus, & vita ſunt, ſed tibi non ſunt. Te Deum laudamus.

MENSE APRILI.
In Secundo Nocturno.
De Sermone Sancti Ambroſii Epiſcopi.
Lib. de his, qui myſteriis initiantur. Cap.9.
Lectio iv.

QUantis igitur utimur exemplis? Probemus, non hoc eſſe, quod natura formavit, ſed quod benedictio conſecravit: majoremque vim eſſe benedictionis, quam naturæ; quia benedictione etiam natura ipſa mutatur. Virgã tenebat Moyſes, projécit eam, & facta eſt ſerpens. Rurſus apprehendit caudam ſerpentis, & in virgæ naturam revertitur. Vides igitur prophetica gratia bis mutatam eſſe naturã & ſerpentis, & virgæ? Currebant Ægypti flumina puro aquarum meátu, ſubitò de fontium venis ſanguis cœpit erumpere; & non erat potus in fluviis. Rursùs, à prophetæ precibus, cruor ceſſavit fluminum, aquarum natura remeávit.

℞. Cœnantibus illis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: * Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum.

℣. Dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus, ut ſaturemur? Accipite. *Lectio v.*

CIrcumcluſus undique erat populus Hebræorum, hinc Ægyptiis vallatus, inde mari clauſus: Virgam levavit Moyſes, ſeparavit ſe aqua, & in murorum ſpeciem congelavit, atque inter undas via pedeſtris apparuit: Jordanis retrorſum converſus, contra naturam, in ſui fontis revertitur exordiũ. Nonnè claret naturam, vel maritimorum fluctuum, vel fluvialis curſus eſſe mutatam? Sitiebat populus patrum, tetigit Moyſes petram, & aqua de petra fluxit. Numquid non præter naturam operata eſt gratia, ut aquam evomeret petra, quam non habebat natura?

℞. Accepit Jeſus calicem, poſtquam cœnavit, dicens: Hic calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine. * Hoc facite in meam commemorationem.

℣. Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea. Hoc facite. *Lectio vi.*

MArath fluvius amariſſimus erat, ut ſitiens populus bibere non poſſet; miſit Moyſes lignum in aquã, & amaritudinem ſuam aquarum natura depoſuit, quam infuſa, ſubitò, gratia temperavit. Sub Eliſæo Propheta,

Digitized by Google

uni ex filiis prophetarum excuſſum eſt ferrum de ſecúri, & ſtatim merſum eſt. Rogavit Eliſęum, qui amiſerat ferrum: miſit etiam Eliſæus lignum in aquam, & ferrum natavit. Utique & hoc præter naturam factum cognoſcimus; Gravior eſt enim ferri ſpecies, quam aquarum liquor. Advertimus igitur majoris eſſe virtutis gratiam, quam naturam, & adhuc tamen propheticæ benedictionis numeramus gratiam? Quod, ſi tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret; quid dicemus de ipſa conſecratione divina, ubi verba ipſa Domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum iſtud, quod accipis, Chriſti ſermone conficitur.

℞. Ego ſum panis vitæ: patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt.* Hic eſt panis de cœlo deſcendens, ut, ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur.

℣. Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi: ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Hic eſt. Gloria Patri. Hic eſt.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii ſecundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo tempore: Dixit Jeſus turbis Judæorum: Caro mea verè eſt cibus: & ſanguis meus verè eſt potus. Et reliqua.

De Homilía Sancti Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 26. in Joannem poſt medium.

HIc eſt panis, qui de cœlo deſcendit. Hunc panem ſignificavit manna: hunc panem ſignificavit Altare Dei. Sacramenta illa fuerunt: in ſignis diverſa ſunt: in re, quæ ſignificatur, paria ſunt. Apoſtolum audi: Nolo enim vos, inquit, ignorare fratres, quia patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſen baptizati ſunt in nube, & in mari: & omnes eamdem eſcam ſpiritalem manducaverunt. Spiritalem utique eamdem: nam corporalem alteram; quia illi manna, nos aliud: ſpiritalem vero, quam nos. Sed patres noſtri, non patres illorum: quibus nos ſimiles ſumus, non quibus illi ſimiles fuerunt. Et adjungit: Et omnes eumdem potum ſpiritalem biberunt. Aliud illi, aliud nos, ſed ſpecie viſibili, quod tamen hoc idem ſignificaret virtute ſpiritali. Quomodo enim eumdem potum? Bibebant, inquit, de ſpiritali, ſequente petra: petra autem erat Chriſtus. Inde panis, inde potus. Petra Chriſtus in ſigno,

Digitized by Google

gno, verus Chriſtus in verbo, & in carne. Et quomodo biberunt? Percuſſa eſt petra de virga bis: gemina percuſſio, duo ligna Crucis ſignificat.

℟. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, * In me manet, & ego in eo.

℣. Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis. In me.

Lectio viij.

NOrunt fideles corpus Chriſti, ſi corpus Chriſti eſſe non negligant. Fiant corpus Chriſti, ſi volunt vivere de ſpiritu Chriſti. De ſpiritu Chriſti non vivit, niſi corpus Chriſti. Intelligite fratres mei quid dixerim. Homo es, & ſpiritum habes, & corpus habes. Spiritum dico, quæ anima vocatur, qua conſtat, quod homo es: conſtas enim ex anima, & corpore. Habes itaque ſpiritum inviſibilem, corpus viſibile. Dic mihi, quid ex quo vivat: ſpiritus tuus vivit ex corpore tuo, an corpus tuũ ex ſpiritu tuo? Reſpondet omnis qui vivit: qui autem hoc non poteſt reſpõdere, neſcio ſi vivit: Quid reſpõdet omnis, qui vivit? Corpus utique meum vivit de ſpiritu meo. Vis ergo & tu vivere de ſpiritu Chriſti? In corpore eſto Chriſti.

℟. Miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: * Et qui manducat me, vivet propter me.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus. Et qui. Gloria. Et qui. *Lect. ix.*

NUnquid enim corpus meum vivit de ſpiritu tuo? Meum vivit de ſpiritu meo, & tuum de tuo. Non poteſt vivere corpus Chriſti, niſi de ſpiritu Chriſti. Indè eſt, quod exponens nobis Apoſtolus Paulus hunc panem: Unus panis, inquit, unũ corpus multi ſumus. O Sacramentum pietatis, ò ſignum unitatis, ò vinculum charitatis! Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur. Non abhorreat à compáge membrorum, non ſit putre membrum, quod reſecari mereatur, non ſit diſtortum, de quo erubeſcatur: ſit pulchrum, ſit aptũ, ſit ſanum: hæreat corpori, vivat Deo de Deo: Nunc laboret in terra, ut poſtea regnet in Cœlo. Te Deum.

MENSE MAJO.

In Secundo Nocturno.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi

De verbis Domini ſer. 46.

Lectio iv.

DOminus Jeſus Chriſtus exhortatus eſt promiſſio-

Digitized by Google

ſione vitæ æternæ, ad manducandam carnem ſuam, & bibendum ſanguinem ſuum. Qui jam manducant carnem Domini, & bibunt ſanguinem ejus, cogitent quid manducent, & quid bibant: nè, ſicut dicit Apoſtolus: Judicium ſibi manducent, & bibant. Ut autem non in judicium manducent, & bibant, benè vivant. Qui caſtitatem voviſtis, corpus arctiùs caſtigate, & concupiſcentiæ frænos, nec ad ipſa, quæ permiſſa ſunt, patiamini relaxare; ut non ſolùm à concubitu illicito divertatis, ſed etiam licitum contemnatis aſpectum. Mementote, in quocumque ſexu ſitis, ſive mares, ſive fœminæ, Angelorum vitam ducere vos in terra.

℟. Cœnantibus illis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: * Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meū.

℣. Dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus, ut ſaturemur? Accipite.

Lectio v.

Angeli enim non nubunt, neque uxores ducunt. Hoc erimus, cum reſurrexerimus. Quantò vos meliores, qui, quod erunt homines poſt reſurrectionem, hoc vos incipitis eſſe ante mortem? Servate gradus veſtros: ſervat enim vobis Deus honores veſtros. Comparata eſt reſurrectio mortuorum ſtellis in Cœlo conſtitutis. Stella enim ab ſtella differt in gloria, ut Apoſtolus dicit: ſic & reſurrectio mortuorum. Aliter enim ibi lucebit virginitas, aliter ibi lucebit caſtitas conjugalis, aliter ibi lucebit ſancta viduitas. Diverſè lucebunt: ſed omnes ibi erunt. Splendor diſpar, Cœlum commune.

℟. Accepit Jeſus calicem, poſtquam cœnavit, dicens: Hic calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine: * Hoc facite in meam commemorationem.

℣. Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea. Hoc facite.

Lectio vi.

Cogitantes ergo gradus veſtros, ſervantes & profeſſiones veſtras, accedite ad carnem Domini, accedite ad ſanguinem Domini. Qui ſe ſcit aliter eſſe, non accedat. Compungimini magis ſermone meo. Cōgratulantur enim, qui ſciunt ſervare omni modo continentiam, ſi hanc Deo voverunt: Qui verò audiunt me dicentem: Quicumque non ſervatis caſtitatem, nolite accedere ad illum panem, contriſtantur. Et ego nollem hoc dicere: ſed quid facio? Ti-

Digitized by Google

mebo hominem, ut taceam veritatem? Abſit.

℟. Ego ſum panis vitæ: patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt. * Hic eſt panis de Cœlo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur.

℣. Ego ſum panis vivus, qui de Cœlo deſcendi; ſi quis mãducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Hic eſt. Gloria. Hic eſt.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo tempore: Dixit Jeſus turbis Judæorum: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Et reliqua.

De Homilía Sancti Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 26. in Joan. circa med.

NOn ſicut manducavérunt patres veſtri manna, & mortui ſunt. Quarè manducavérunt, & mortui ſunt? Quia, quod videbant, credebant: quod non videbant, non intelligebant. Ideo patres veſtri, quia ſimiles eſtis illorum. Nam quantùm pertinet, fratres mei, ad mortem iſtam viſibilem, & corporalem, nunquid nos non morimur, qui manducamus panem de Cœlo deſcendentem? Sic ſunt mortui & illi, quemadmodum & nos ſumus moritúri, quantùm attinet, ut dixi, ad mortem hujus corporis viſibilem, atque carnalem.

℟. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, * In me manet, & ego in eo.

℣. Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis. In me manet.

Lectio viij.

QUantùm autem pertinet ad illam mortem, de qua terret Dominus, qua mortui ſunt patres iſtorum; manducavit manna & Moyſes, manducavit manna & Aaron, manducavit manna & Phinees, manducavérunt ibi multi, qui Domino placuerunt, & mortui non ſunt. Quarè? quia viſibilem cibum ſpiritaliter intellexerunt, ſpiritaliter eſurierunt, ſpiritaliter guſtaverunt, ut ſpiritaliter ſatiarentur. Nam & nos hodiè accipimus viſibilem cibum: ſed aliud eſt Sacramentum, aliud eſt virtus Sacramenti.

℟. Miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: * Et qui manducat me, vivet propter me.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus. Et qui. Gloria Patri. Et qui.

Digitized by Google

Lectio ix.

QUàm multi de Altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur? Unde dicit Apoſtolus: Judicium ſibi manducat, & bibit. Nonnè buccella Dominica venenum fuit Judæ? Et tamen accepit, & cum accepit, in eum inimicus intravit; non quia malum accepit, ſed quia bonum malè malus accepit. Videte ergo, fratres, panem cœleſtem ſpiritaliter manducate, innocentiam ad altare apportate. Peccata, etſi ſunt quotidiana, vel non ſint mortifera. Antequàm ad altare accedatis, attendite quod dicatis: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Si dimittis, dimittetur tibi: ſecúrus accéde, panis eſt, non venenum.

Te Deum.

MENSE JUNIO.

In Secundo Nocturno.

Sermo Sancti Joannis Chryſoſtomi.

Ex homil. 60. ad Populum Antiochen. *Lect. iv.*

QUoniam Verbum dicit: Hoc eſt corpus meum: & aſſentiamur, & credamus, & intellectualibus ipſum oculis intueamur. Nihil enim ſenſibile nobis Chriſtus tradidit: ſed ſenſibilibus quidem rebus, at omnia intelligibilia. Itidem & in baptiſmate: per rem, nempè ſenſibilem aquam, donum confertur: intelligibile verò quod perficitur, generatio, & renovatio. Si enim incorporeus eſſes, nuda, & incorporea tibi dediſſet ipſe dona: ſed quoniam anima corpori conſerta eſt, in ſenſibilibus intelligibilia tibi præbet. Quot nunc dicunt: Vellem ipſius formam aſpicere, figuram, veſtimenta, calceamenta. Ecce eum vides, ipſum tangis, ipſum mandúcas. Et tu quidem veſtimenta cupis vidére: ipſe verò tibi concédit non tantùm vidére, verùm & mãducáre, & tangere, & intra te ſumere.

℟. Cœnantibus illis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: * Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum. ℣. Dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus, ut ſaturemur? Accipite.

Lectio v.

IGitur accedat nemo cum nauſea, nemo reſolútus, omnes accenſi, omnes ferventes, & excitati. Nam ſi Judæi ſtantes, & calceamenta in pedibus habentes, & baculos manibus geſtantes agnum cum feſtinatione comedebãt: te

Digitized by Google

te multò magis oportet eſſe ſolertem. Nam illi quidem in Paleſtinam erant profecturi, & propterea viatorum figuram habebant: tu verò debes in cœlum migrare. Quapropter in omnibus oportet te vigilare: nec enim parva pœna proponitur indignè ſumentibus. Cogita quantùm adverſus proditórem indignáris, & contra eos, qui illum crucifixerunt; itaque conſidera, ne tu quoque ſis reus corporis, & ſanguinis Chriſti. Illi Sanctiſſimum Corpus occidérunt, tu verò pollúta ſuſcipis anima poſt tot beneficia. Neque enim illi ſatis fuit hominem fieri, colaphis cædi, & crucifigi: verùm & ſemetipſum nobis commiſcet; & non fide tantùm, verùm & ipſa re nos ſuum efficit corpus.

℟. Accepit Jeſus calicem, poſtquam cœnavit, dicens: Hic calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine. * Hoc facite in meam commemorationem.

℣. Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea. Hoc facite.

Lectio vi.

Quo non oportet igitur eſſe puriorē tali fruentem ſacrificio? Quo ſolari radio non ſplendidiorē manum, carnem hanc dividentem? Os, quod igne ſpiritali repletur? Linguam, quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit? Cogita quali ſis inſignitus honóre, quali menſa fruáris. Quod Angeli videntes horreſcunt, neque liberè audent intuéri propter emicantem inde ſplendorem; hoc nos paſcimur: huic nos unimur, & facti ſumus unum Chriſti corpus, & una caro. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? Quis paſtor oves proprio paſcit cruóre? Et, quid dico paſtor? Matres multæ ſunt, quæ poſt partus dolores, filios aliis tradunt nutricibus: Hoc autem ipſe non eſt paſſus: ſed ipſe nos proprio ſanguine paſcit, & per omnia nos ſibi coagmentat.

℟. Ego ſum panis vitæ: patres veſtri manducavérunt manna in deſerto, & mortui ſunt. * Hic eſt panis de Cœlo deſcendens, ut, ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur.

℣. Ego ſum panis vivus, qui de Cœlo deſcendi, ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Hic eſt. Gloria Patri. Hic eſt.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii ſecundùm Joannem.

Lectio vij. *Cap. 6.*

In illo tempore: Dixit Jeſus turbis Judæorum: Caro

ro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Et reliqua.

Homilia Sancti Hilarii Epiſcopi.

Lib. 4. de Trinitate ante med.

NOn eſt humano, aut ſeculi ſenſu in Dei rebus loquendum. Quæ ſcripta ſunt legamus; & quæ legerimus, intelligamus; & tunc perfectæ fidei officio fungémur. De naturali enim in nobis Chriſti veritate, quæ dicimus, niſi ab eo diſcimus, ſtultè, atque impiè dicimus. Ipſe enim ait: Caro mea verè eſt eſca, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. De veritate carnis, & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus.

℟. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, * In me manet, & ego in eo.

℣. Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis. In me.

Lectio viij.

NUnc enim, & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra verè caro eſt, & verè ſanguis eſt. Et hæc accepta, atque hauſta id efficiunt, ut & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. An ne hoc veritas non eſt? Contingat planè his verum non eſſe, qui Chriſtum Jeſum verum eſſe Deum negant. Eſt ergo in nobis ipſe per carnem, & ſumus in eo, dum ſecùm hoc, quod nos ſumus, in Deo eſt. Quod autem in eo per Sacramentum communicatæ carnis, & ſanguinis ſimus, ipſe teſtatur, dicens: Et hic mundus jam me non videt, vos autem me videbitis: quoniam ego vivo, & vos vivétis: quoniam ego in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.

℟. Miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: * Et qui manducat me, vivet propter me.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus. Et qui. Gloria. Et qui.

Lectio ix.

QUod autem in nobis naturalis hæc unitas ſit, ipſe ita teſtatus eſt: Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Non enim quis in eo erit, niſi in quo ipſe fuerit: ejus tantum in ſe aſſumptam habens carnem, qui ſuam ſumpſerit. Perfectæ autem hujus unitatis Sacramentum ſuperiùs jam docuerat, dicens: ſicut me miſit vivens Pater, & ego vivo per Patrem, & qui manducat meam carnem, & ipſe vivet per me. Vivit ergo per patrem: & quo-

Digitized by Google

quomodo per Patrem vivit, eodem modò nos per carnem ejus vivémus.

Te Deum laudamus.

MENSE JULIO.

In Secundo Nocturno.

Sermo Sancti Joannis Chryſoſtomi.

Homilia 61. ad Populum Antiochènum.

Lectio iv.

NEceſſarium eſt, dilectiſſimi, Myſteriorum dicere miraculum, quodnam ſit, & quarè ſit datum, & quæ ejus rei utilitas. Unum corpus efficimur: membra, inquit, ex carne ejus, & ex oſſibus ejus: ſequamur autem initiati quæ dicuntur. Ut itaque non tantum per charitatem hoc fiamus, verum etiam ipſa re, in illam miſceamur carnem: hoc namque per eſcam efficitur, quam largitus eſt nobis, volens oſtendere deſiderium, quod erga nos habet; propterea ſemetipſum nobis immiſcuit, & corpus ſuum in nos contemperavit, ut unum quid ſimus tamquam corpus capiti coaptatum: ardenter enim amantium hoc eſt.

℟. Cœnantibus illis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: * Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum.

℣. Dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus, ut ſaturemur. Accipite.

Lectio v.

TAmquam leones, igitur, ignem ſpirantes ab illa menſa recedamus, facti diabolo terribiles, & caput noſtrum mente revolventes, & charitatem, quam erga nos oſtendit. Nam parentes quidem aliis ſepè filios tradunt alendos: ego autem, inquit, non ita, ſed carnibus meis alo, & meipſum vobis appono, vos omnes generoſos eſſe volens, & ſpem bonam de futuris vobis præbens: quippè qui vobis hic meipſum tradidi, multò magis id in futuro faciam. Volui frater veſter fieri, carni propter vos, & ſanguini communicavi: vobis viciſſim ipſam carnem, & ſanguinem, per quæ cognátus veſter factus ſum, trado.

℟. Accepit Jeſus calicem, poſtquam cœnavit, dicens: Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine. * Hoc facite in meam commemorationem.

℣. Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea. Hoc facite in meam.

Lectio vi.

ATtendamus itaque nobis ipſis, dilectiſſimi, talibus fruentes bonis: & cum aliquid turpe dicere voluerimus, vel nos ab ira corripi videri-

Digitized by Google

derimus, vel alio quopiam hujuſmodi vitio, conſiderémus, quibus facti ſumus digni: taliſque cogitatio nobis irrationabilium motuum ſit correctio. Quotquot, igitur, hujus participes corporis efficimur, quotquot ſanguinem deguſtamus; cogitemus, quod illum ſurſum ſedentem, qui ab Angelis adoratur, incorruptibili vicinus virtuti, hunc deguſtamus. Hei mihi, quot ad ſalutem nobis viæ! Nos corpus ſuum effécit, nobis ſuum communicavit corpus: & horum nos nihil à malis avertit.

℟. Ego ſum panis vitæ: patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt. * Hic eſt panis de cœlo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur.

℣. Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi: ſi quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum. Hic eſt. Gloria Patri. Hic eſt.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii ſecundùm Joannem.

Lectio vij. *Cap. 6.*

IN illo tempore: Dixit Jeſus turbis Judæorum: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Et reliqua.

Homilſa Sancti Cyrilli Epiſcopi Alexandrini.

Libro 4. in Joannem. Cap. 17.

QUi manducat, inquit, carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in illo. Sicut enim ſi quis liquefactæ ceræ, aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commiſceat neceſſe eſt: ſic, qui carnem, & ſanguinem Domini recipit, cum ipſo ita conjungitur, ut Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inveniatur. Simile quodam modo apud Matthæum comperies. Simile eſt, inquit, regnum cœlorum fermento, quod acceptum abſcondit mulier in farinæ ſatis tribus. Sicut parum, ut Paulus ait, fermenti totam maſſam fermentat: ſic parvula benedictio totum hominem in ſeipſam attrahit, & ſua gratia replet: & hoc modo in nobis Chriſtus manet, & nos in Chriſto.

℟. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, * In me manet, & ego in eo.

℣. Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis. In me manet.

Lectio viij.

NOs vero, ſi vitam æternam conſequi volumus, ſi largitórem immortalitatis habere in nobis deſideramus, ad recipiendam benedictio-

Digitized by Google

dictionem libenter concurramus: caveamusque, ne loco laquei, damnoſam religionem diabolus nobis prætendat. Rectè (inquit) dicis: ſcriptum tamen eſſe non ignoramus, judicium ſibi comedere, atque bibere illum, qui de pane comedit, & de calice bibit indignè. Ego, igitur, probo meipſum, & indignum invenio. Quando, igitur, quicumque tu es, qui iſta dicis, dignus eris? Quando Chriſto teipſum offeres? Nam ſi peccando indignus es, & peccare non deſinis (quis enim delicta intelligit? ſecundum Pſalmiſtam) expers omninò eris vivificæ hujus ſanctificationis.

℞. Miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, * Et qui manducat me vivet propter me.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus. Et qui. Gloria. Et qui.

Lectio ix.

QUarè pias, quæſo, cogitationes ſuſcipias, ſtudioſè, ſanctèque vivas, & benedictionem participes: quæ (mihi crede) non mortem ſolum, verum etiam morbos omnes depellit. Sedat enim, cum in nobis maneat Chriſtus, ſævientem membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, colliſos redintegrat: & ſicut paſtor bonus, qui animam ſuam pro ovibus ſuis poſuit, ab omni nos erigit caſu.

Te Deum laudamus.

MENSE AUGUSTO.

In Secundo Nocturno.

Ex Epiſtola Sancti Cypriani Martyris ad Cæcilium.

Lectio iv.

APud Iſaïam Spiritus Sanctus de Domini Paſſione teſtatur, dicens: Quare rubicunda ſunt veſtimenta tua, & indumenta tua velut à calcatione torculáris pleni, & percalcáti? Numquid rubicunda veſtimenta aqua poteſt facere? aut in torculári aqua eſt, quæ pedibus calcatur, vel prælo exprimitur? Vini utique mentio eſt, & ideo ponitur, ut Domini ſanguis, vino intelligatur; & quod in calice Dominico poſtea manifeſtatū eſt, prophétis annunciantibus prædiceretur.

℞. Cœnantibus illis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: * Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum.

℣. Dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus, ut ſaturemur. Accipite.

Lectio v.

TOrculáris quoque calcatio, & preſſúra taxatur; quia

Digitized by Google

quia quomodo ad potandum vinum veníri non poteſt, niſi botrus calcétur ante, & premátur: ſic nec nos ſanguinem Chriſti poſſemus bibere, niſi Chriſtus calcatus priùs fuiſſet & preſſus, & calicem prior biberet, quem credentibus propináret. Et alibi idem Iſaías: Si ſitierint, inquit, per deſerta adducet illos, aquam de petra prodúcet illis: findetur petra, & fluet aqua, & bibet plebs mea. Quod in Evangelio adimpletur, quando Chriſtus, qui eſt petra, finditur ictu lanceæ in paſſione: qui & admonens, quid per prophétam ſit ante prædictū, clamat, & dicit: ſi quis ſitit, veniat, & bibat.

℟. Accepit Jeſus calicem, poſtquam cœnavit, dicens: Hic calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine. * Hoc facite in meam commemorationem.

℣. Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea. Hoc facite.

Lectio vi.

CAlicem etenim ſub die paſſionis accipiens benedixit, & dedit diſcipulis ſuis dicens: Bibite ex hoc omnes; hic eſt enim ſanguis novi teſtamenti, qui pro multis effundétur in remiſſionem peccatorum. Dico vobis: non bibam amodò ex iſta creatura vitis, uſque in diem illum, quo vobiſcum bibam novum vinum in regno Patris mei. Qua in parte invenimus calicem mixtum fuiſſe, quem Dominus obtulit; & vinum fuiſſe, quod ſanguinem ſuum dixit. Unde apparet, ſanguinem Chriſti non offerri, ſi deſit vinum calici; nec ſacrificium dominicum legitima ſanctificatione celebrari, niſi oblatio, & ſacrificium noſtrum reſponderit paſſioni.

℟. Ego ſum panis vitæ: patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt. * Hic eſt panis de cœlo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur.

℣. Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi: ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Hic eſt panis. Gloria. Hic eſt panis.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Joannem.

Lectio vij. *Cap.6.*

IN illo tempore: Dixit Jeſus turbis Judæorum: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Et reliqua.

Homilía Sancti Auguſtini Epiſcopi.

Tractatu 26. in Joannem ſub finem.

CUm cibo, & potu id appetant homines, ut neque

Digitized by Google

que eſuriant, neque ſitiant: hoc veraciter non præſtat, niſi iſte cibus, & potus, qui eos, à quibus ſumitur, immortales, & incorruptibiles facit; id eſt ſocietas ipſa ſanctorum, ubi pax erit, & unitas plena, atque perfecta. Propterea quippè, ſicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noſter Jeſus Chriſtus, corpus, & ſanguinem ſuum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis conſit: aliud in unum ex multis acinis confluit. Denique jam expónit quomodo id fiat, quod loquitur: & quid ſit manducare corpus ejus, & ſanguinem bibere.

℟. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, * In me manet, & ego in eo.

℣. Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis. In me.

Lectio viij.

Qui manducat carnem meam, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in illo. Hoc eſt ergo manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manére, & illum manentem in ſe habére. Ac per hoc, qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, procul dubio non manducat ſpiritaliter carnē ejus, nec bibit ejus ſanguinem, licet carnaliter, & viſibiliter premat dentibus Sacramentum corporis, & ſanguinis Chriſti: Sed magis tantæ rei Sacramentum ad judicium ſibi manducat, & bibit, quia immundus præsúmit ad Chriſti accedere Sacramenta, quæ aliquis non dignè ſumit, niſi, qui mundus eſt, de quibus dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.

℟. Miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: * Et qui manducat me, vivet propter me,

℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus. Et qui. Gloria. Et qui.

Lectio ix.

Sicut, inquit, miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: qui manducat me, & ipſe vivet propter me. Ac ſi diceret: Ut ego vivam propter Patrem, ideſt, ad illum, tanquam ad majorem, referam vitam meam, exinanitio mea fecit, in qua me miſit. Ut autem quiſquam vivat propter me, participatio facit, qua manducat me. Ego itaque humiliatus vivo propter Patrem: ille erectus vivit propter me. Si autem ita dictum eſt: Vivo propter Patrem;

Digitized by Google

trem, quia ipſe de illo, non ille de ipſo eſt, ſine detrimento æqualitatis dictum eſt. Nec tamen dicendo: & qui manducat me, & ipſe vivet propter me, eamdem ſuam, & noſtram æqualitatem ſignificavit, ſed gratiam mediatoris oſtendit. Te Deum.

MENSE SEPTEMBRIS.

In Secundo Nocturno.

De Ser. S. Cypriani Epiſcopi.

De Cœna Domini. 7.

Lectio iv.

Panis iſte, quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus eſt caro; & ſicut in perſona Chriſti humanitas videbatur, & latébat Divinitas: ita Sacramento viſibili ineffabiliter divina ſe infúdit eſsētia, ut eſſet Religioni circa Sacramenta devotio, & ad veritatem, cujus corpus, & ſanguis Sacramenta ſunt, ſincerior patéret acceſſus, uſque ad participationem ſpiritus: non quod uſque ad conſubſtantialitatem Chriſti, ſed uſque ad ſocietatem germaniſſimam ejus, hæc unitas perveniſſet. Solus quippe Filius Patri conſubſtantialis eſt, nec diviſibilis eſt, nec partiabilis ſubſtantia Trinitatis; noſtra verò, & ipſius conjunctio, nec miſcet perſonas, nec unit ſubſtantias; ſed affectus conſociat, & confœderat voluntates.

℟. Cœnantibus illis accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditq; diſcipulis ſuis, & ait: * Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum.

℣. Dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus, ut ſaturemur. Accipite.

Lectio v.

Ita Eccleſia Corpus Chriſti effecta obſequitur capiti ſuo; & ſuperius lumen in inferiora diffuſum, charitatis ſuæ plenitudine, à fine uſque ad finem attingens, totus apud ſe manens, totum ſe omnibus commodát, & calóris illius identitas ita corpori aſſidet, ut à capite non recédat. Panis itaque hic azimus, cibus verus, & ſincérus per ſpeciem, & Sacramentum, nos tactu ſanctificat, fide illuminat, veritate Chriſto confórmat. Et ſicut panis communis, quem quotidiè edimus, vita eſt corporis; ita panis iſte ſuperſubſtantialis, vita eſt animæ, & ſanitás mentis.

℟. Accepit Jeſus calicem, poſtquam cœnavit, dicens: Hic calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine: * Hoc facite in meam commemorationem.

℣. Memoria memor ero, & tabe-

Digitized by Google

tabeſcet in me anima mea. Hoc facite.

Lectio vi.

PAnem Angelorum ſub Sacramento manducàmus in terris, eumdem ſine Sacramento manifeſtiùs edémus in Cœlis: non miniſterio corporali, ſæpè repetítis actiónibus ad eumdem revertentes, ſed conſumato Sacerdotio noſtro, erit, & permanebit perpetua, & ſtabilis, implens, & reficiens nos ſufficientia, quæ profert ſe palam abſque ullis integumentis, omnibus conſpicabilis ſummi præſentia Sacerdotis. Sacramenta quidē, quantùm in ſe eſt, ſine propria eſſe virtute non poſſunt, nec ullo modo divina ſe abſentat majeſtas myſteriis, ſed quamvis ab indignis ſe ſumi, vel contingi Sacramenta permittant, non poſſunt tamen ſpiritus eſſe participes, quorum infidelitas, vel indignitas tantæ ſanctitudini contradicit. Ideòque, aliis ſunt hæc munera odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem.

℞. Ego ſum panis vitæ: patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt. * Hic eſt panis de Cœlo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur.

℣. Ego ſum panis vivus, qui de Cœlo deſcendi: ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Hic eſt. Gloria. Hic eſt.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Joannem.

Lectio vij. *Cap. 6.*

IN illo tempore: dixit Jeſus turbis Judæorum: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Et reliqua.

De Homilía Sancti Auguſtini Epiſcopi.

Tractatu 27. in Joannem.

VErba Domini ex Evangelio, quæ ſermonem priſtinum conſequuntur, audivimus. Hinc ſermo debetur auribus, & mentibus veſtris, & hodierna die non importúnus eſt; eſt enim de corpore Domini, quod dicebat ſe dare ad manducandum propter æternam vitam. Expoſuit autem modum attributionis hujus, & doni ſui, quomodo daret carnem ſuam manducare, dicens: Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in illo. Signum quia manducavit, & bibit, hoc eſt, ſi manet, & manetur, ſi habitat, & inhabitatur, ſi hæret, ut non deſeratur.

℞. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, * In me manet, & ego in eo.

Digitized by Google

℣. Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis. In me manet.

Lectio viij.

HOc ergo nos docuit, & admonuit myſticis verbis, ut ſimus in ejus corpore, ſub ipſo capite, in membris ejus, edentes carnem ejus, non relinquentes unitatem ejus. Sed qui aderant, plures non intelligendo ſcandalizati ſunt; non enim cogitabant hæc audiendo, niſi carnem, quod ipſi erant. Apoſtolus autem dicit, & verum dicit: ſapere ſecundum carnem, mors eſt. Carnem ſuam dat nobis Dominus manducáre: & ſapere ſecundum carnem mors eſt: cùm de carne ſua dicat, quia ibi eſt vita æterna. Ergo nec carnem debemus ſapere ſecundum carnem, ſicut in his verbis: multi itaque audientes, non ex inimicis, ſed ex diſcipulis ejus dixerũt: Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?

℟. Miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: * Et qui mandúcat me, vivet propter me.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus. Et qui. Gloria Patri. Et qui.

Lectio ix.

SI diſcipuli durum habuerunt iſtum ſermonem, quid inimici? Et tamen ſic oportebat, ut diceretur, quod non ab omnibus intelligeretur. Secretum Dei intentos debet facere, non adverſos. Iſti autem citò defecerunt, talia loquente Domino Jeſu Chriſto. Non crediderunt aliquid magnum dicentem, & verbis illis aliquam gratiam cooperientem; ſed prout voluerunt, ita intellexerunt, & more hominum: quia poterat Jeſus, aut hoc diſponebat Jeſus, carnem, qua indútum erat Verbum, veluti conciſſam, diſtribuere credentibus in ſe. Durus eſt, inquiunt, hic ſermo, quis poteſt eum audire?

Te Deum laudamus.

MENSE OCTOBRI.

In Secundo Nocturno.

Sermo Beati Cyrilli Epiſcopi Jeroſolymitani.

Catecheſi Myſtagog. 4.

Lectio iv.

IPſa Beati Pauli doctrina abundè ſufficere videtur, ut certam vobis de divinis myſteriis fidem faciat; quibus digni redditi concorporei, ut ita dicam, & conſanguinei Chriſti facti eſtis. Ipſe enim modo clamabat, quod in nocte, qua tradebatur Dominus noſter Jeſus Chriſtus, accipiens panem, & gratias agens, fregit, & dedit diſcipulis ſuis dicens: Accipite, & manducate:

Digitized by Google

cate: hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem, & gratias agens, dixit: Accipite, & bibite: hic eſt ſanguis meus. Cum igitur ipſe de pane pronunciaverit, ac dixerit: Hoc eſt corpus meum: quis audebit deinceps ambigere? Et cum idem ipſe tam aſſeveranter dixerit: Hic eſt ſanguis meus: quis unquam dubitaverit, ut dicat, non eſſe ejus ſanguinem.

℟. Cœnantibus illis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: * Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum. ℣. Dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus, ut ſaturemur? Accipite.

Lectio v.

A Quam olim in vinum convertit in Cana Galilææ, quod habet quamdam cum ſanguine propinquitatẽ: & eum parùm dignum exiſtimabimus, cui credamus, quòd vinum in ſanguinem tranſmutârit? Ad eas nuptias, quibus corpora copulantur, vocatus, præter opinionem omnium hoc fecit miraculum: & non multò magis ſic eum corpus, & ſanguinem ſuum fruenda nobis donaſſe perſuaſum firmiter habebimus, ut ea cum omni certitudine tanquã corpus ipſius, & ſanguinem ſumamus? Nam in ſpecie panis dat nobis corpus, & in ſpecie vini dat nobis ſanguinem; ut cũ ſumpſeris, guſtes corpus, & ſanguinẽ Chriſti, factus ejuſdem corporis, & ſanguinis particeps. Sic enim efficimur Chriſtiferi, hoc eſt Chriſtum in corporibus noſtris ferentes, cum corpus ejus, & ſanguinem in membra noſtra recipimus: ſic ſecundùm Beatum Petrum divinæ naturæ conſortes reddimur.

℟. Accepit Jeſus calicem, poſtquam cœnavit, dicens: Hic calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine. * Hoc facite in meam commemorationem. ℣. Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea. Hoc facite.

Lectio vi.

OLim cum Judæis Chriſtus diſſerens: Niſi mãducaveritis, inquit, carnem meam, & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Cum autem illi, quæ dicta fuerant, non ſpiritaliter accepiſſent, offenſi abjerunt retrò: putabant enim, quod eos ad mãducandas carnes hortaretur. Erant & in veteri Teſtamento panes propoſitionis: verùm illi, cum fuerint veteris Teſtamenti, finem jam accepẽrunt. In novo verò Teſtamento panis eſt cœleſtis, & calix ſalutaris,

Digitized by Google

ris, qui & animam, & corpus ſanctificant. Quamobrem non ſic hæc attendas velim, tanquam ſint nudus, & ſimplex panis, nudum, & ſimplex vinum: corpus enim ſunt, & ſanguis Chriſti. Nam etiamſi ſenſus illud tibi renunciat, fides tamen te confirmet. Ne judices rem ex guſtu, ſed te, citra ullam dubitationem fides certum reddat, quod ſis dignus factus, qui corporis, & ſanguinis Chriſti particeps fieres.

℟. Ego ſum panis vitæ: patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt. * Hic eſt panis de Cœlo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur.

℣. Ego ſum panis vivus, qui de Cœlo deſcendi, ſi quis mãducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Hic eſt. Gloria. Hic eſt.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Joannem.

Lectio vij. *Cap. 6.*

IN illo tempore: Dixit Jeſus turbis Judæorum: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Et reliqua.

De Homilía Sancti Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 27. in Joan. ante med.

DIximus, fratres, hoc Dominum commendaſſe in manducatione carnis ſuæ, & potatione ſanguinis ſui, ut in illo maneamus, & ipſe in nobis. Manemus autem in illo, cùm ſumus membra ejus: manet autem ipſe in nobis, cùm ſumus templum ejus. Ut autem ſimus membra ejus, unitas nos compaginat: ut compaginet unitas, quæ facit niſi charitas? Et charitas Dei undè? Apoſtolum interroga. Charitas, inquit, Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.

℟. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, * In me manet, & ego in eo.

℣. Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis. In me manet.

Lectio viij.

ERgo ſpiritus eſt, qui vivificat: ſpiritus enim facit viva membra: nec viva membra ſpiritus facit, niſi, quæ in corpore, quod vegetat ipſe ſpiritus, invenerit. Nam ſpiritus, qui eſt in te, ò homo, quo conſtas, ut homo ſis; nunquid vivificat membrum, quod ſeparatum invenerit à carne tua? Spiritum tuum, dico, animam tuam. Anima tua non vivificat, niſi membra, quæ ſunt in carne tua:

unum

Digitized by Google

unum ſi tollas, jam non vivificatur ex anima tua, quia unitati corporis tui non copulatur.

℟. Miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: * Et qui manducat me, vivet propter me.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus. Et qui. Gloria. Et qui.

Lectio ix.

HÆc dicuntur, ut amemus unitatem, & timeamus ſeparationem. Nihil enim ſic debet formidare Christianus, quàm ſeparari à corpore Chriſti; ſi enim ſeparatur à corpore Chriſti, non eſt membrum ejus: ſi non eſt membrum ejus, non vegetatur ſpiritu ejus. Quiſquis autem, inquit Apoſtolus, ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus. Spiritus ergo eſt, qui vivificat: caro autem non prodeſt quidquam. Verba, quæ ego loquutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt. Quid eſt, ſpiritus, & vita ſunt? ſpiritaliter intelligenda ſunt. Intellexiſti ſpiritaliter? ſpiritus, & vita ſunt. Intellexiſti carnaliter? Etiam ſic illa ſpiritus, & vita ſunt, ſed tibi non ſunt.

Te Deum.

MENSE NOVEMBRI.

In Secundo Nocturno.

De Sermone Sancti Cypriani Epiſcopi.

Sermone de Cœna Domini.

Lectio iv.

FInem legalibus cæremoniis impoſiturus Dominus noſter Jeſus Chriſtus, pari ſibi voluit Paſcha, & ex conſuetudine legis ea quæri, quæ ſolemnitas exigebat, Agnum aſſum, panes azymos, & lactúcas agreſtes. Non oportet eſſe fermentarios novi teſtamenti miniſtros: puras, ſinceraſque mentes, ſanctum quærit convivium. In veru Crucis boni odoris aſſatio omnem excoquat carnalium ſenſuum cruditatem, & indúret, ſolidetque mentis affectus, nec in Eccleſiæ ſanctæ ſacrificio ulla ſit macula, ſed pura ſimplicitas, & innocentia vitæ; in una Eccleſiæ Catholicæ domo à fidelibus de Ægypto egredientibus, tranſito mari rubro, lotis Chriſti ſanguine affectibus, offeratur.

℟. Cœnantibus illis accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: * Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum.

℣. Dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus, ut ſaturemur. Accipite.

Digitized by Google

Lectio v.

CŒna itaque diſpoſita, inter ſacramentales epulas obviarunt ſibi inſtituta antiqua, & nova, & conſumpto Agno, quem antiqua traditio proponebat, inconſumptibilem cibum magiſter appónit diſcipulis: Nec jam ad elaboráta impenſis, & arte convivia populi invitantur: ſed immortalitatis alimonia datur à communibus cibis differens, corporalis ſubſtantiæ retinens ſpeciem, ſed virtutis divinæ inviſibili efficientia probans adeſſe præſentiam. Significata olim à tempore Melchiſedech prodeunt Sacramenta, & filiis Abrahæ facientibus opera ejus, Summus Sacerdos panem profert, & vinum: Hoc eſt, inquit, corpus meum.

℟. Accepit Jeſus Calicem, poſtquam cœnavit, dicens: Hic calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine. * Hoc facite in meam commemorationem.

℣. Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea. Hoc facite.

Lectio vi.

MAnducaverant, & biberant de eodem pane ſecundum formam viſibilem, ſed ante verba illa, cibus ille communis, tantum nutriendo corpori commodus erat, & vitæ corporalis ſubſidium miniſtrabat. Sed ex quo à Domino dictum eſt: Hoc facite in meam commemorationem: Hæc eſt caro mea, & hic eſt ſanguis meus: Quotieſcumque his verbis, & hac fide actum eſt, panis iſte ſubſtantialis, & calix benedictione ſolemni ſacrátus ad totíus hominis victum, ſalutemque proficit, ſimul medicamentum, et holocauſtum, ad ſanandas infirmitates, et purgandas iniquitates exiſtens.

℟. Ego ſum panis vitæ: patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, et mortui ſunt. * Hic eſt panis de cœlo deſcendens, ut, ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur.

℣. Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi: ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Hic eſt. Gloria. Hic eſt.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Joannem.

Lectio vij. *Cap. 6.*

IN illo tempore: Dixit Jeſus turbis Judæorum: Caro mea verè eſt cibus, et ſanguis meus verè eſt potus. Et reliqua.

He Homilía Sancti Auguſtini Epiſcopi.

Tractatu 26. in Joannem poſt medium.

HIc eſt panis, qui de cœlo deſcendit. Hunc panem

nem ſignificavit manna, hunc panem ſignificavit altáre Dei. Sacramenta illa fuerunt: in ſignis diverſa ſunt, in re, quæ ſignificatur pária ſunt. Apoſtolum audi: Nolo, enim, vos, inquit, ignoráre, fratres, quia patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, et omnes mare tranſierunt, et omnes in Moyſen baptizati ſunt in nube, et in mari: et omnes eamdem eſcam ſpiritalem manducaverunt. Spiritalem utique eamdem, nam corporalem alteram: quia illi manna, nos aliud: ſpiritalem vero, quam nos. Sed patres noſtri, non patres illorum, quibus nos ſimiles ſumus, non quibus illi ſimiles fuerunt. Et adjungit: Et omnes eumdem potum ſpiritalem biberunt. Aliud illi, aliud nos, ſed ſpecie viſibili quidem, tamen hoc idem ſignificante virtute ſpiritali. Quomodo enim eumdem potum? Bibebant, inquit de ſpiritali, ſequente petra: petra autem erat Chriſtus. Inde panis, inde potus. Petra Chriſtus in ſigno, verus Chriſtus in Verbo, et in carne. Et quomodo biberunt? Percuſſa eſt petra de virga bis. Gemina percuſſio duo ligna Crucis ſignificat.

℟. Qui manducat meam carnẽ, et bibit meum ſanguinẽ, * in me manet, et ego in eo.

℣. Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis. In me manet.

Lectio viij.

Norunt fideles corpus Chriſti, ſi corpus Chriſti eſſe non negligant. Fiant corpus Chriſti, ſi volunt vivere de ſpiritu Chriſti. De ſpiritu Chriſti non vivit, niſi corpus Chriſti. Intelligite, fratres mei, quid dixerim. Homo es, et ſpiritum habes, et corpus habes. Spiritum dico, quæ anima vocatur, qua conſtat, quod homo es: conſtas enim ex anima, et corpore. Habes itaque ſpiritum inviſibilem, corpus viſibile. Dic mihi quid ex quo vivat? Spiritus tuus vivit ex corpore tuo, an corpus tuum ex ſpiritu tuo? Reſpondet omnis, qui vivit: qui autem hoc non poteſt reſpondére, neſcio ſi vivit. Quid reſpondet omnis qui vivit? Corpus utique meum vivit de ſpiritu meo. Vis ergo, et tu vivere de ſpiritu Chriſti? In corpore eſto Chriſti.

℟. Miſit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: * Et qui manducat me, vivet propter me.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, et intellectus. Et qui. Gloria. Et qui.

Digitized by Google

Lectio ix.

NUmquid enim corpus meum vivit de ſpiritu tuo? Meum vivit de ſpiritu meo, et tuum de ſpiritu tuo. Non poteſt vivere corpus Chriſti, niſi de ſpiritu Chriſti. Inde eſt, quod exponens nobis Apoſtolus Paulus hunc panem: Unus panis, inquit, unum corpus multi ſumus. O Sacramentum pietatis, ò ſignum unitatis, ò vinculum charitatis! Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur. Non abhorreat à compage membrorum, non ſit putre membrum, quod reſecári mereatur, non ſit diſtortum, de quo erubeſcatur. Sit pulchrum, ſit aptum, ſit ſanum: hæreat corpori, vivat Deo, de Deo. Nunc labóret in terra, ut poſtea regnet in Cœlo.

Te Deum.

OFFICIUM
SEPTEM DOLORUM
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Recitandum Dominica Tertia Septembris ſub ritu Duplici ſecundæ Claſſis cum Octava.

Et ſub ritu Semiduplici qualibet feria ſexta non impedita, extra tamen Adventum, Quadrageſimam, Quatuor Tempora, & Vigilias.

IN PRIMIS VESPERIS.

Ant. Quo abiit dilectus tuus, ò pulcherrima mulierũ? Quo declinavit dilectus tuus, & quærémus eum tecum?

Pſalm. 109.

DIxit Dominus Domino meo: * ſede à dextris meis.

Donec ponã inimicos tuos, * ſcabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: * domináre in medio inimicorum tuorũ.

Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus Sanctorum; * ex utero ante Luciferum genui te.

Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: * Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.

Dominus à dextris tuis, * cõfregit in die iræ ſuæ reges.

Judi-

Digitized by Google

Judicabit in nationibus, implebit ruinas: * conquaſſabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet: * propterea exaltabit caput.

Ant. Quo abiit dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum? Quo declinavit dilectus tuus, et quæremus eum tecum?

Ant. Recedite à me, amarè flebo, nolite incumbere, ut conſolemini me.

Pſalm. 112.

Laudate pueri Dominũ, * laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum, * ex hoc nunc, et uſque in ſeculum.

A Solis ortu, uſque ad occaſum: * laudabile nomen Domini.

Excelſus ſuper omnes gentes Dominus* et ſuper cœlos gloria ejus.

Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat: * et humilia reſpicit in cœlo, et in terra.

Suſcitans à terra inopem, * et de ſtercore erigens pauperem.

Ut collocet eum cum principibus, * cum principibus populi ſui.

Qui habitare facit ſterilem in domo, * matrem filiorum lætantem.

Antiph. Recedite à me amarè flebo, nolite incumbere, ut conſolemini me.

Ant. Non eſt ei ſpecies, neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus.

Pſalmus 121.

Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: * in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes noſtri, * in atriis tuis Jeruſalem.

Jeruſalem, quæ ædificatur ut civitas: * cujus participatio ejus in idipſum.

Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini: * teſtimonium Iſrael ad confitendum nomini Domini.

Quia illic ſederunt ſedes in judicio:* ſedes ſuper domum David.

Rogate, quæ ad pacem ſunt Jeruſalem: * & abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua, * & abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos, & proximos meos: * loquebar pacem de te.

Propter domũ Domini Dei noſtri: * quæſivi bona tibi.

Ant. Non eſt ei ſpecies, neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus.

Ant. A planta pedis uſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas.

Pſalmus 126.

Niſi Dominus ædificaverit domum, * in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.

Niſi

Digitized by Google

Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, * fruſtrà vigilat, qui cuſtodit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere: * ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis ſuis ſomnum: * ecce hæreditas Domini, filii; merces, fructus ventris.

Sicut ſagittæ in manu potentis, * ita filii excuſſorum.

Beatus vir, qui implevit deſiderium ſuum ex ipſis: * non confundetur, cùm loquetur inimicis ſuis in porta.

Ant. A planta pedis, uſque ad verticem capitis, non eſt in eo ſanitas.

Antiph. Fulcíte me floribus, ſtipáte me malis, quia amore langueo.

Pſalmus 147.

LAuda Jeruſalem Dominum: * lauda Deum tuum Sion.

Quoniam confortavit ſeras portarum tuarum: * benedixit filiis tuis in te.

Qui poſuit fines tuos pacē:* & adipe frumenti ſatiat te.

Qui emittit eloquium ſuum terræ: * velociter currit ſermo ejus.

Qui dat nivem ſicut lanam: * nebulam ſicut cinerem ſpargit.

Mittit cryſtallum ſuam ſicut bucellas: * ante faciem frigoris ejus quis ſuſtinebit?

Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea: * flabit ſpiritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annunciat verbum ſuum Jacob: * juſtitias, & judicia ſua Iſrael.

Non fecit taliter omni nationi, * & judicia ſua non manifeſtavit eis.

Antiph. Fulcíte me floribus, ſtipáte me malis, quia amore langueo.

Capitulum. *Thren.* 2.

CUi comparabo te? vel cui aſſimilabo te filia Jeruſalem? cui exequabo te, & conſolabor te Virgo filia Sion? magna eſt velut mare contritio tua.

Hymnus.

O Quot undis lacrymárũ,
Quo dolore volvitur,
Luctuoſa, de cruento
Dum revulſum ſtipite,
Cernit ulnis incubantem,
Virgo mater, filium.
Os ſuave, mite pectus,
Et latus dulciſſimum,
Dexterámque vulneratam,
Et ſiniſtram ſauciam,
Et rubras cruore plantas
Ægra tingit lacrymis.
Centieſque, millieſque
Stringit arctis nexibus
Pectus illud, & lacertos,
Illa ſugit vulnera;
Sicque tota colliqueſcit
In doloris oſculis.
Eja, mater, obſecramus

Per

Digitized by Google

Per tuas has lacrymas,
Filiique triſte funus,
Vulnerumque purpuram,
Hunc tui cordis dolorem
Conde noſtris cordibus.
Eſto Patri, Filioque,
Et coævo flamini;
Eſto ſummæ Trinitati
Sempiterna gloria,
Et perennis laus, honorque
Hoc, & omni ſeculo. Amen.
℣. Regina Martyrum ora pro nobis.
℟. Quæ juxtà Crucem Jeſu conſtitiſti.

Ad Magnificat. Antiph.

Nolite me conſiderare, quod fuſca ſim, quia decoloravit me Sol. Filii matris meæ pugnaverunt contra me.

Oratio.

Deus, in cujus paſſione, ſecũdùm Simeonis prophetiam, dulciſſimam animam glorioſæ virginis, & matris Mariæ doloris gladius pertranſivit; concede propitius, ut qui dolores ejus venerando recolimus, paſſionis tuæ effectum felicem conſequamur. Qui vivis, &c.

Ad Completorium, & per Horas finis Hymnorum erit: Jeſu tibi ſit gloria, Qui paſſus es, &c. *Per totam etiam Octavam ſi verſus ſit ejuſdem metri, & officium, quod dicitur alium proprium non habeat verſum idem erit finis; & cantatur in tono B.M.*

Ad Matutinum. Invitatorium,

Stemus juxtà Crucem cum Maria matre Jeſu, * Cujus animam doloris gladius pertranſivit. Stemus, &c.

Pſalm. Venite, &c.

Hymnus.

Jam toto ſubitus veſper eat polo,
Et Sol attonitum præcipitet diem,
Dum ſævæ recolo ludibriũ necis,
Divinamq; cataſtrophē.
Spectatrix aderas ſupplicio Parens,
Malis uda, gerens cor adamantinum;
Natus funerea pendulus in Cruce,
Altos cùm gemitus dabat.
Pendens ante oculos natus, atrocibus
Sectus verberibus; natus hiantibus
Foſſus vulneribus, quot penetrantibus
Te confixit aculeis!
Heu ſputa, alapæ, verbera, vulnera,
Clavi, fel, aloe, ſpongia, lancea,
Sitis, ſpina, cruor, quàm varia pium
Cor preſſére tyrannide!
Cunctis, interea, ſtat generoſior
Virgo martyribus: prodigio novo,

In

Digitized by Google

In tantis moriens non moreris Parens
Diris fixa doloribus.
Sit ſummæ Triadi gloria, laus, honor,
A qua ſuppliciter, ſollicita prece,
Poſco Virginei roboris æmulas
Vires rebus in aſperis.
Amen.

In Primo Nocturno.

Ant. Multiplicati ſunt, qui tribulant me, multi inſurgunt adverſùm me. *Pſalm.* 3.

Domine, quid multiplicati ſunt, qui tribulant me? * multi inſurgunt adverſùm me.

Multi dicunt animæ meæ: * non eſt ſalus ipſi in Deo ejus.

Tu autem, Domine, ſuſceptor meus es, * gloria mea, & exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: * & exaudivit me de monte ſancto ſuo.

Ego dormivi, & ſoporatus ſum: * & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * Exurge Domine, ſalvum me fac Deus meus.

Quoniam tu percuſſiſti omnes adverſantes mihi ſine cauſa: * dentes peccatorum contriviſti.

Domini eſt ſalus: * & ſuper populũ tuum benedictio tua.

Antiph. Multiplicati ſunt, qui tribulant me, multi inſurgunt adverſum me.

Antiph. Paraverunt ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittent in obſcuro rectos corde.

Pſalmus 10.

In Domino confido; quomodo dicitis animæ meæ: * Tranſmigra in montem ſicut paſſer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt ſagittas ſuas in pharetra: * ut ſagittent in obſcuro rectos corde.

Quoniam quæ perfeciſti destruxeruut: * juſtus autem quid fecit?

Dominus in templo ſancto ſuo, * Dominus in cœlo ſedes ejus.

Oculi ejus in pauperem reſpiciunt: * palpebræ ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat juſtum, & impium; * qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.

Pluet ſuper peccatores laqueos: * ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.

Quoniam juſtus Dominus, & juſtitias dilexit: * æquitatem vidit vultus ejus.

Antiph. Paraverunt ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittent in obſcuro rectos corde.

Antiph. Defecit in dolore vita

Digitized by Google

vita mea, & anni mei in gemitibus.

Pſalmus 30.

In te Domine ſperavi, non confundar in æternum: * in juſtitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam, * accelera, ut eruas me.

Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii, * ut ſalvum me facias.

Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu: * & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

Educes me de laqueo hoc, quem abſconderunt mihi: * quoniã tu es protector meus.

In manus tuas commendo ſpiritum meum: * redemiſti me Domine Deus veritatis.

Odiſti obſervantes vanitates, * ſupervacuè.

Ego autem in Domino ſperavi: * exultabo, & lætabor in miſericordia tua.

Quoniam reſpexiſti humilitatem meam: * ſalvaſti de neceſſitatibus animam meam.

Nec concluſiſti me in manibus inimici: * ſtatuiſti in loco ſpatioſo pedes meos.

Miſerére mei Domine, quoniam tribulor: * conturbatus eſt in ira oculus meus, anima mea, & venter meus.

Quoniam defecit in dolore vita mea, * & anni mei in gemitibus.

Infirmata eſt in paupertate virtus mea, * & oſſa mea conturbata ſunt.

Super omnes inimicos meos factus ſum opprobrium, & vicinis meis valdè, * & timor notis meis.

Qui videbant me, foras fugerunt à me: * oblivioni datus ſum, tanquam mortuus, à corde.

Factus ſum tamquam vas perditum: * quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.

In eo, dum convenirent ſimul adverſum me, * accipere animam meam conſiliati ſunt.

Ego autem in te ſperavi Domine: * Dixi: Deus meus es tu: in manibus tuis ſortes meæ.

Eripe me de manu inimicorum meorum, * & à perſequentibus me.

Illuſtra faciem tuam ſuper ſervum tuum, ſalvum me fac in miſericordia tua: * Domine non confundar, quoniam invocavi te.

Erubeſcant impii, & deducantur in infernum: * muta fiant labia doloſa.

Quæ loquuntur adverſus juſtum iniquitatem, * in ſuperbia, & in abuſione.

Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, * quam abſcondiſti timentibus te.

Perfeciſti eos, qui ſperant in te, * in conſpectu filiorum hominum.

Abſcon-

Digitized by Google

Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ; * à conturbatione hominum.

Proteges eos in tabernaculo tuo, * à contradictione linguarum.

Benedictus Dominus:* quoniam mirificavit miſericordiam ſuam mihi in civitate munita.

Ego autem dixi in exceſſu mentis meæ: * projectus ſum à facie oculorum meorum.

Ideo exaudiſti vocē orationis meæ,* dum clamarē ad te.

Diligite Dominum omnes ſancti ejus: * quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam.

Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum,* omnes qui ſperatis in Domino.

Antiph. Defécit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.

℣. Regina Martyrum ora pro nobis.

℟. Quæ juxtà Crucem Jeſu conſtitiſti.

Ex Jeremía Propheta.

Lectio i. *Thren.* 1.

PLorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus: non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis ejus: Omnes amici ejus ſpreverunt eam, & facti ſunt ei inimici. Vide Domine quoniam tribulor: conturbatus eſt venter meus: Subverſum eſt cor meum in memetipſa, quoniam amaritudine plena ſum. Foris interficit gladius, & domi mors ſimilis eſt. Audierunt, quia ingemiſco ego, & non eſt qui conſoletur me.

℟. Simeon vir juſtus, & timoratus, dixit ad Maríam. * Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.

℣. Ne vocétis me pulchram, ſed amaram, quia amaritudine valdè replevit me omnipotens. Tuam ipſius.

Lectio ij. *Thren.* 2.

CUi comparabo te? Vel cui aſſimilabo te filia Jeruſalem? Cui exæquabo te, & conſolabor te virgo filia Sion? Magna eſt velut mare contritio tua: quis medebitur tui? Plauſérunt ſuper te manibus omnes tranſeuntes per viam: ſibilaverunt, & moverunt caput ſuum ſuper filiam Jeruſalem: Hæccine eſt urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudiū univerſæ terræ? Aperuerunt ſuper te os ſuum omnes inimici tui: ſibilaverunt, & fremuerunt dentibus, & dixerunt: devorabimus.

℟. Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum.*Et eſto ibi uſquedum dicam tibi.

℣. Vocavi filium meum ex Ægypto, ut veniat ſalus in Iſrael. Et eſto ibi.

Le-

Digitized by Google

Lectio iij.

FEcit Dominus, quæ cogitavit, complévit ſermonem ſuum, quem præceperat à diebus antiquis: deſtruxit, & non pepercit, & lætificavit ſuper te inimicum, & exaltavit cornu hoſtium tuorum. Clamavit cor eorum ad Dominũ ſuper muros filiæ Sion, Deduc quaſi torrentem lacrymas per diem, & noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.

℟. Fili quid feciſti nobis ſic? * Ego, & pater tuus; * Dolentes quærebamus te.

℣. Quid eſt, quod me quærebatis? In his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe. Ego, &. Gloria Patri. Dolentes.

In Secundo Nocturno.

Ant. Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei.

Pſalmus 21.

DEus, Deus meus reſpice in me, quarè me dereliquiſti? * Longè à ſalute mea verba delictorum meorum.

Deus meus clamabo per diẽ, & non exaudies: * & nocte, & non ad inſipientiam mihi.

Tu autem in ſancto habitas, * laus Iſrael.

In te ſperaverunt patres noſtri: * ſperaverunt, et liberaſti eos.

Ad te clamaverunt, et ſalvi facti ſunt: * in te ſperaverunt, et non ſunt confuſi.

Ego autem ſum vermis, & non homo: * opprobrium hominum, & abjectio plebis.

Omnes videntes me deriſerunt me: * locuti ſunt labiis, & moverunt caput.

Speravit in Domino, eripiat eum: * ſalvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxiſti me de ventre: * ſpes mea ab uberibus matris meæ: In te projectus ſum ex utero.

De ventre matris meæ Deus meus es tu, * ne diſceſſeris à me.

Quoniam tribulatio proxima eſt: * quoniam non eſt qui adjuvet.

Circumdedérunt me vituli multi: * tauri pingues obſedérunt me.

Aperuerunt ſuper me os ſuum, * ſicut leo rapiens, & rugiens.

Sicut aqua effuſus ſum; * & diſperſa ſunt omnia oſſa mea.

Factum eſt cor meum tamquã cera liqueſcens: * in medio ventris mei.

Aruit tamquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis: * & in pulverem mortis deduxiſti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi; * concilium malignantium obſédit me.

Fodérunt manus meas, & pedes meos: * dinumeraverunt

runt omnia oſſa mea.

Ipſi vero conſideraverunt,& inſpexerunt me; * diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.

Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum à me;* ad defenſionem meam conſpice.

Erue à framea Deus animam meam;* & de manu canis unicam meam.

Salva me ex ore leonis: * & à cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis; * in medio Eccleſiæ laudabo te.

Qui timetis Dominum laudate eum; * univerſum ſemen Jacob glorificate eum.

Timeat eum omne ſemen Iſrael;* quoniam non ſprevit, neque deſpexit deprecationem pauperis.

Nec avertit faciem ſuam à me; * & cùm clamarem ad eum, exaudivit me.

Apud te laus mea in Eccleſia magna; * vota mea reddam in conſpectu timentium eum.

Edent pauperes, & ſaturabuntur; & laudabunt Dominum, qui requirunt eum; * vivent corda eorum in ſeculum ſeculi.

Reminiſcentur, & convertentur ad Dominum;*univerſi fines terræ:

Et adorabunt in conſpectu ejus; * univerſæ familiæ gentium.

Quoniam Domini eſt regnum; * & ipſe dominabitur gentium.

Manducaverunt, & adoraverunt omnes pingues terræ:* in conſpectu ejus cadent omnes,qui deſcendunt in terram.

Et anima mea illi vivet: * & ſemen meum ſerviet ipſi.

Annunciabitur Domino generatio ventura: * & annunciabũt cœli juſtitiam ejus populo, qui naſcetur, quem fecit Dominus.

Antiph. Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei.

Ant. Deus vitam meam annunciavi tibi; poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo.

Pſalm. 55.

Miſerere mei Deus, quoniam conculcavit me homo: * tota die impugnans tribulavit me.

Conculcaverunt me inimici mei tota die: * quoniam multi bellantes adversùm me.

Ab altitudine diei timebo:* ego verò in te ſperabo.

In Deo laudabo ſermones meos, in Deo ſperavi, * non timebo,quid faciat mihi caro.

Tota die verba mea execrabantur:* adversùm me omnes cogitationes eorum in malũ.

Inhabitabunt, & abſcondent:*

dent: * ipſi calcaneum meum obſervabunt.

Sicut ſuſtinuerunt animam meam, pro nihilo ſalvos facies illos: * in ira populos confringes.

Deus vitam meam annunciavi tibi: * poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo.

Sicut & in promiſſione tua: * tunc cõvertentur inimici mei retrorſum.

In quacumque die invocavero te: * ecce cognovi quoniam Deus meus es.

In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo ſermonem: * in Deo ſperavi, non timebo quid faciat mihi homo.

In me ſunt Deus vota tua: * quæ reddam laudationes tibi.

Quoniam eripuiſti animam meam de morte, & pedes meos de lapſu: * ut placeam coram Deo in lumine viventium.

Antiph. Deus vitam meam annunciavi tibi; poſuiſti lacrymas meas in cõſpectu tuo.

Ant. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte.

Pſalm. 41.

QUemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum: * ita deſiderat anima mea ad te Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum: * quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte: * dum dicitur mihi quotidiè: Ubi eſt Deus tuus?

Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam: * quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei.

In voce exultationis, & confeſſionis, * ſonus epulantis.

Quarè triſtis es anima mea, * & quarè conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Ad meipſum anima mea conturbata eſt: * propterea memor ero tui de terra Jordanis, & Hermoniim à monte modico.

Abyſſus abyſſum invocat, * in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelſa tua, & fluctus tui, * ſuper me tranſierunt.

In die mandavit Dominus miſericordiam ſuam, * & nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitæ meæ: * dicam Deo: Suſceptor meus es.

Quarè oblitus es mei? * & quarè cõtriſtatus incédo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur oſſa mea, * exprobraverunt mihi qui tribulant me, inimici mei.

Dum dicunt mihi per ſingulos dies: Ubi eſt Deus tuus? * quarè

Digitized by Google

quarè triſtis es anima mea? & quarè conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Ant. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte.

℣. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi.

℟. Inter ubera mea commorabitur.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Ex ſermone de duodecim ſtellis.

Lectio iv.

MArtyrium Virginis tam in Simeonis prophetia, quàm in ipſa Dominicæ paſſionis hiſtoria commendatur. Poſitus eſt hic (ait Sanctus Senex de puero Jeſu) in ſignum, cui contradicetur, & tuam ipſius animam (ad Mariam autem dicebat) pertranſibit gladius. Verè tuam, ò Beata Mater, animam pertranſivit. Aliòquin nonniſi eam pertranſiens, carnem filii tui penetràret: Et quidem poſteaquàm emiſit ſpiritum tuus ille Jeſus, ipſius planè non attigit animam crudelis lancea, quæ ipſius aperuit latus, ſed tuam utique animam pertranſivit; ipſius nimirum anima jam ibi non erat, ſed tua planè indè nequibat avelli.

℟. Jeſum bajulantem ſibi Crucem: * ſequebàtur turba mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum.

℣. Filiæ Jeruſalem ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Sequebàtur turba.

Lectio v.

TUam ergo pertranſivit animam vis doloris, ut pluſquam martyrem non immeritò prædicémus, in qua, nimirum corporeæ ſenſum paſſionis exceſſerit compaſſionis affectus. An non tibi pluſquam gladius fuit ſermo ille re vera pertranſiens animam, & pertingens uſque ad diviſionem animæ, ac ſpiritus: Mulier, ecce filius tuus? O commutationem! Joannes tibi pro Jeſu traditur, ſervus pro Domino, Diſcipulus pro Magiſtro, filius Zebedæi pro filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodo non tuam affectuoſiſſimam animā pertranſiret hæc auditio, quando & noſtra, licèt ſaxea, licèt ferrea pectora ſola recordatio ſcindit?

℟. Poſtquam venerunt in locum, qui dicitur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum: * Stabat autem juxtà Crucem Jeſu Mater ejus.

℣. Tunc beatam illius animam doloris gladius pertranſivit. Stabat autem.

Lectio vi.

NOn miremini, fratres, quod Maria martyr in anima fuiſſe dicatur. Miretur, qui non meminerit, ſe audiviſſe

Digitized by Google

viſſe Paulum inter maxima gentium crimina memorantẽ, quod ſine affectione fuiſſent. Longè id fuit à Mariæ viſceribus, longè ſit à ſervulis ejus. Sed fortè quis dicat: Nunquid non eum præſcierat moritúrum? Et indubitanter. Nunquid non ſperabat continuò reſurrecturum? Et fideliter. Super hæc doluit Crucifixũ? Et vehementer. Aliòquin quisnam tu frater, aut undè tibi hæc ſapientia, ut miréris plus Mariam compatientem, quàm Mariæ filium patientẽ? Ille enim mori corpore potuit. Iſta cõmori corde nõ potuit? Fecit illud charitas, quâ majorem nemo habuit: fecit & hoc charitas, cui, poſt illam, ſimilis altera non fuit.

℟. Joſeph ab Arimathæa. * Petiit corpus Jeſu, quod de Cruce depoſitum; * Suo complexu Mater excepit.

℣. Dolens Sunamitis, ſinu, & genibus ſuis ſuſtinuit mortuum filium. Petiit corpus. Gloria Patri. Suo complexu.

In Tertio Nocturno.

Ant. Intenderunt arcum rem amaram, ut ſagittent in occultis immaculatam.

Pſalm. 63.

Exaudi Deus, orationem meam cum deprecor: * à timore inimici eripe animam meam.

Protexiſti me à conventu malignantium: * à multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuérunt ut gladium linguas ſuas; * intenderunt arcum rem amaram, ut ſagittent in occultis immaculatum.

Subitò ſagittabunt eum, & non timebunt; * firmaverunt ſibi ſermonem nequam.

Narraverunt, ut abſconderent laqueos: * dixerunt: Quis videbit eos?

Scrutati ſunt iniquitates; * defecerunt ſcrutantes ſcrutinio.

Accedet homo ad cor altum; * & exaltabitur Deus.

Sagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum; * infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum.

Conturbati ſunt omnes, qui videbant eos; * & timuit omnis homo.

Et annunciaverunt opera Dei; * & facta ejus intellexerunt.

Lætabitur juſtus in Domino, & ſperabit in eo, * & laudabuntur omnes recti corde.

Ant. Intenderunt arcum rem amaram, ut ſagittent in occultis immaculatam.

Ant. Anima mea turbata eſt valdè, ſed tu Domine uſquequò.

Pſalm. 6.

Domine ne in furore tuo arguas me; * neque in ira tua corripias me.

Miſerere mei Domine, quoniam

niam infirmus ſum ; * ſana me Domine , quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Et anima mea turbata eſt valdè ; * ſed tu Domine uſquequò?

Convertere Domine,& eripe animam meam: * ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.

Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui ; * in inferno autem quis confitebitur tibi ?

Laboravi in gemitu meo,lavabo per ſingulas noctes lectum meum; * lacrymis meis ſtratum meum rigabo.

Turbatus eſt à furore oculus meus , * inveteravi inter omnes inimicos meos.

Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem;*quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam ,* Dominus orationem meam ſuſcepit.

Erubeſcant , & conturbentur vehementer omnes inimici mei; * convertantur , & erubeſcant valdè velociter.

Ant. Anima mea turbata eſt valdè , ſed tu Domine uſquequò ?

Ant. Deus adjutor in tribulationibus , quæ invenérunt nos nimis. *Pſal.*45.

Deus noſter refugium, & virtus; * adjútor in tribulationibus , quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus, dum turbabitur terra : * & transferentur montes in cor maris.

Sonuérunt , & turbatæ ſunt aquæ eorum : * conturbati ſunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei , * ſanctificávit tabernaculum ſuum Altiſſimus.

Deus in medio ejus non cõmovebitur ; * adjuvabit eam Deus manè diluculò.

Conturbatæ ſunt gentes, & inclinata ſunt regna : * dedit vocem ſuam, mota eſt terra.

Dominus virtutum nobiſcum; * ſuſceptor noſter Deus Jacob.

Veníte, & vidéte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram : * auferens bella uſque ad finem terræ.

Arcum conteret , & confringet arma: * & ſcuta comburet igni.

Vacate, & vidéte , quoniam ego ſum Deus: * exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiſcum:* Suſceptor noſter Deus Jacob.

Ant. Deus adjútor in tribulationibus , quæ invenérunt nos nimis.

℣. Per

Digitized by Google

℣. Per te ſalutem hauria-
mus, Virgo Maria.
℟. Ex vulneribus Chriſti.

Lectio Sancti Euangelii
ſecundùm Joannem.

Lectio vij. *Cap.* 19.

IN illo tempore: Stabant [illegible] juxtà Crucem Jeſu Mater ejus, & ſoror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ. Et reliqua.

Homilía Sancti Ambroſii
Epiſcopi.

De Inſtitut. Virg. cap. 7.

STabat ante Crucem mater, & fugientibus viris, ſtabat intrepida. Vidète, utrùm pudórem mutare potuerit mater Jeſu, quæ animum non mutavit. Spectabat piis oculis filii vulnera, per quæ ſciebat omnibus futuram redemptionem. Spectabat non degeneri mater ſpectaculo, quæ non metuebat peremptorem. Pendebat in Cruce filius, mater ſe perſecutoribus offerebat.

℟. Quis tibi ſenſus fuit, ò Mater dolorum: *Dum Joſeph ſindone filium tuum involvit, & poſuit eum in monumento.
℣. Conſiderate, & vidète, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus. Dum Joſeph.

Ex ejuſdem Epiſt. 25. *ad Ecclеſ. Vercellеr. propè finem.*

Lectio viij.

MAria Mater Domini ante Crucem filii ſtabat; Nullus me hoc docuit, niſi Sanctus Joannes Evangeliſta. Mundum alii concuſſum in Paſſione Domini conſcripſerunt, Cœlum tenebris obductum, refugiſſe Solem, in Paradiſum Latronem, ſed poſt piam confeſſionem, receptum. Joannes docuit, quod alii non docuerunt, quemadmodum in Cruce poſitus matrem appellaverit, pluris putatur, quod victor ſuppliciorum pietatis officia matri exhibebat, quam, quod Regnum Cœleſte donabat. Nam ſi religioſum eſt, quod Latroni donatur venia; multò uberioris pietatis eſt, quod à filio mater tanto affectu honoratur.

℟. In toto corde tuo gemitus matris tuæ nè obliviſcaris; * Ut perficiatur propitiatio, & benedictio.
℣. Ave Princeps Generoſa, martyrumque prima roſa, Virginumque lilium. Ut perficiatur. Gloria. Ut perficiatur.

Lectio ix. erit de Homilìa Dominicæ occurrentis, in fine cujus dicitur. Te Deum laudamus.

Ad Laudes, & per Horas.

Antiph. Quò abiit Dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum? Quò declinavit Dilectus tuus, & quæremus eum tecum?

Pſalm. Dominus regnavit,

Digitized by Google

cum reliquis de Laudibus Dominica.

Antiph. Recedite à me, amare flebo, nolite incumbere, ut conſolemini me.

Antiph. Non eſt ei ſpecies, neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus.

Antiph. A planta pedis uſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas.

Antiph. Fulcíte me floribus, ſtipáte me malis, quia amore langueo.

Capitulum. Thren. 2.

CUi comparabo te? Vel cui aſſimilabo te filia Jeruſalem? Cui exequabo te, & conſolabor te Virgo filia Sion? Magna eſt velut mare contritio tua.

Hymnus.

SUmmæ, Deus, clementiæ,
Septem Dolores Virginis,
Plagaſque Jeſu Filii
Fac ritè nos revolvere.
Nobis ſalútem conferant
Deiparæ tot lacrymæ,
Quibus laváre ſufficis
Totíus orbis crimina.
Sit quinque Jeſu vulnerum
Amára contemplatio,
Sint, & Dolóres Virginis
Æterna cunctis gaudia.
Jeſu tibi ſit gloria,
Qui paſſus es pro ſervulis,
Cum Patre, & almo Spiritu
In ſempiterna ſecula. Amen.

℣. Maria Virgo per virtutem tot Dolorum.

℟. Fac nos gaudére in regno Cœlorum.

Ad Benedictus Antiphona.

Venite, aſcendamus ad montem Dñi, & vidéte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus. *Oratio.*

DEus, in cujus Paſſione, ſecundum Simeónis Prophetíam, dulciſſimam animam Glorioſæ Virginis, & Matris Mariæ dolóris gladius pertranſivit: Concéde propitius, ut qui Dolóres ejus venerando recolimus, Paſſionis tuæ effectum felícem conſequamur. Qui vivis &c.

Deindè ſit comm. Domin. occurren., etiam in Miſſa.

Ad Primam.

Antiph. Qui abjit &c. *Hymni Horarum terminantur.*

℣. Jeſu tibi ſit gloria, qui paſſus es pro ſervulis &c.

℟. *brev.* Chriſte fili Dei vivi, &c. Chriſte.

℣. Qui paſſus es propter noſtram ſalutem &c.

Ad Tertiam.

Antiph. Recedite a me.

Capit. Cui comparabo &c.

℟. *brev.* O vos omnes, * Qui tranſitis per viam. O vos.

℣. Attendite, & vidéte ſi eſt Dolor, ſicut Dolor meus. Qui tranſitis. Gloria Patri. O vos omnes.

℣. Defecèrunt præ lacrymis oculi mei.

℟. Conturbáta ſunt omnia víſcera mea.

Ad

Digitized by Google

Ad Sextam.

Antiph. Non eſt ei ſpecies:

Capitulum. Thren.1.

PLorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus, non eſt, qui conſoletur eam ex omnibus charis ejus.

℞. *brev.* Defecèrunt præ lacrymis: * Oculi mei. Defecèrunt.

℣. Conturbáta ſunt omnia viſcera mea. Oculi mei. Gloria Patri. Defecèrunt.

℣. Faſciculus myrrhæ Dilectus meus mihi.

℞. Inter ubera mea commorabitur.

Ad Nonam.

Antiph. Fulcite me floribus.

Capitulum. Thren.2.

DEduc quaſi torrentem lacrymas per diem, & noctem; non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.

℞. *brev.* Faſciculus myrrhæ: * Dilectus meus mihi. Faſciculus.

℣. Inter ubera mea commorabitur. Dilectus. Gloria. Faſciculus.

℣. Anima mea liquefacta eſt.

℞. Ut Dilectus locutus eſt.

In Secundis Veſperis omnia ut in Primis.

Ad Magnificat, Antiphona.

Oppreſſit me dolor, & facies mea intumuit à fletu, & palpèbræ meæ caligaverunt.

Oratio ut ſupra.

Deinde fit commemoratio Dominicæ occurrentis.

Officium
SEPTEM DOLORUM
B. MARIÆ VIRG.
Tempore Paſchali.

In primis Veſper. Antiph. Adjúro vos &c., *cum reliquis de laudibus. Pſalm.* Dixit Dominus. *cum reliquis de B.V.M.*

Capitulum. Thren.2.

OCulus meus afflictus eſt, nec tacui, eo quod non eſſet requies, donec reſpiceret, & vidéret Dominum de Cœlis.

Hymnus.

SUmmæ, Deus, clementiæ
Septẽ Dolóres Virginis,
Plagaſque Jeſu Filii
Fac ritè nos revolvere.
Nobis ſalútem conferant
Deiparæ tot lacrymæ,
Quibus lavare ſufficis
Totius orbis crimina.
Sit quinque Jeſu vulnerum
Amára contemplatio,
Sint & Dolóres Virginis
Æterna cunctis gaudia.
Jeſu tibi ſit gloria,
Qui paſſus es pro ſervulis,
Cũ Patre, & Almo Spiritu,
In ſempiterna ſecula.
Amen.

℣. Regina Martyrum ora pro nobis. Alleluja.

℞. Quæ juxtà Crucem Jeſu conſtitiſti. Alleluja.

Ad Magnificat, Antiphona.

Digitized by Google

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens. Alleluja.

Oratio. Deus, in cujus paſſione &c. *ut ſupra*.

Ad Matutinam invitatorium. Stemus juxtà Crucem cum Maria Matre Jeſu. * Alleluja.

Pſalmus. Venite exultemus Domino &c. *Hymnus*.

O Maria ſpes reorum,
Virginiſque Lilii,
Pelle vim periculorum,
Da ſalutem Filii.
Nati amore concidentis
Noſtra dele crimina.
Matris ictu condolentis
Pande vitæ limina.
Eja, præſtet vis doloris,
Virgo confidentiæ,
Servet ut ſummis in horis
Nos Deus clementiæ.
Amen.

In Primo Nocturno.

Antiph. Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie. Alleluja.

Tres Pſalmi dicuntur ut ſupra extra tempus Paſchale.

℣. Regina Martyrum ora pro nobis. Alleluja.

℟. Quæ juxtà Crucem Jeſu conſtitiſti. Alleluja.

℟. *i*. Simeon juſtus, & timoratus, dixit ad Mariam: Tuam ipſius animã pertranſibit gladius; *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Alleluja.

℣. Poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum. Ut.

℟. *ij*. Surge, * Accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum. Alleluja.

℣. Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens. Accipe.

℟. *iij*. Poſt triduum, invenérunt illum in templo; * Et videntes admirati ſunt. Allel.

℣. Fili, quid feciſti nobis ſic? Ego, & pater tuus dolentes quærebamus te. Et videntes. Gloria. Et videntes.

In Secundo Nocturno.

Antiph. Anima mea liquefacta eſt, ut dilectus locutus eſt. Alleluja.

℣. Per te ſalutem hauriàmus Virgo Maria. Alleluja.

℟. Ex vulneribus Chriſti. Alleluja.

℟. *iv*. Jeſus bajulans ſibi Crucem dixit mulieribus, quæ ſequebantur eum; * Nolite flere. Alleluja.

℣. Gloriari oportet in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, in quo eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra. Nolite.

℟. *v*. Mater Jeſu ſtabat juxtà Crucem Domini: * In qua Chriſtus triumphavit, & mors mortem ſuperavit in æternum. Alleluja.

℣. Stemus & nos ante Crucem cum Maria. In qua.

℟. *vi*. Faſciculus myrrhæ dilectus

lectus meus mihi inter ubera mea commorabitur; * Cujus livóre ſanàti ſumus.

℣. Joſeph ab Arimathęa petiit Corpus Jeſu, quod de Cruce depoſitum excepit. Cujus livóre. Gloria. Cujus livóre.

In Tertio Nocturno.

Antiph. Sub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi. Alleluja.

℣. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi. Alleluja.

℟. Inter ubera mea commorabitur. Alleluja.

℟.*vij.* Cum filius meus, involútus ſindone, poſitus eſt in monumento; * Caro mea requievit in ſpe reſurrectionis ejus. Alleluja.

℣. Meſſui myrrham meam cum aromatibus meis. Caro mea.

℟.*viij.* In toto corde tuo gemitus matris tuæ nè obliviſcaris, * Ut perficiatur propitiatio, & benedictio. Alleluja.

℣. Ave Princeps generoſa, martyrumque prima roſa, Virginumque lilium. Ut perficiatur. Gloria. Ut perficiatur.

Ad Laudes, & per Horas.

Antiph. Adjúro vos filiæ Jeruſalem, ut nunciètis dilecto meo, quia amòre langueo. Alleluja. *Pſalm. de Dominica.*

Antiph. Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto ò pulcherrima mulierum. Alleluja.

Antiph. Dilectus meus candidus, & rubicundus, coma capitis ejus ſicut purpura regis vincta canalibus. Alleluja.

Ant. Factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens in medio ventris mei. Alleluja.

Antiph. Fulcite me floribus, ſtipáte me malis, quia amóre langueo. Alleluja.

Capit. Oculus meus &c.

Hymnus. Summæ Deus &c. *ut ſupra.*

℣. Regina Martyrum ora pro nobis. Alleluja.

℟. Quæ juxtà Crucem Jeſu conſtitiſti. Alleluja.

Ad Benedictus, Antiphona.

Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Alleluja.

Oratio. Deus in cujus Paſſione, *ut ſupra.*

Ad Primam.

Antiph. Adjúro vos. *Ad Hymnos Horarum dicitur* ℣. Jeſu tibi ſit gloria, Qui paſſus es pro ſervulis &c.

℟. *brev.* Chriſte fili Dei vivi. * Alleluja, allel. Chriſte.

℣. Qui paſſus es propter noſtram ſalutem. Alleluja, alleluja. Gloria. Chriſte. Exurge Chriſte adjuva nos. Alleluja. Et libera &c. Alleluja.

Ad Tertiam.

Antiph. Qualis eſt &c.

Capit. Oculus meus &c.

℟.*brev.* Fulcite me floribus, ſtipàte me malis. * Alleluja, alleluja. Fulcite.

℣. Quia

℣. Quia amóre langueo. Alleluja, alleluja. Gloria. Fulcite.

℣. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi. Alleluja.

℞. Inter ubera mea commorabitur. Alleluja.

Ad Sextam.

Antiph. Dilectus meus &c.

Capitulum. Thren.3.56.

VOcem meam audiſti, ne avertas faciem tuam à ſingultu meo, & clamoribus.

℞. *brev.* Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi. * Alleluja, alleluja. Faſciculus.

℣. Inter ubera mea commorabitur. Alleluja, alleluja. Gloria. Faſciculus.

℣. Anima mea liquefacta eſt. Alleluja.

℞. Ut dilectus locutus eſt. Alleluja.

Ad Nonam.

Antiph. Fulcite me floribus.

Capitulum. Thren.3.15.

REplèvit me amaritudinibus, inebriávit me abſynthio, diviſiónes aquarum deduxit oculus meus in contritióne.

℞. *brev.* Anima mea liquefacta eſt. * Alleluja, alleluja. Anima mea.

℣. Ut dilectus locutus eſt. Alleluja, allel. Gloria. Anima.

℣. Regina Martyrum ora pro nobis. Alleluja.

℞. Quæ juxtà Crucem Jeſu conſtitiſti. Alleluja.

In ſecundis Veſperis omnia ut in primis.

Lectiones dicendæ ſingulis menſibus, & infra Octavam in Secundo, ac Tertio Nocturno Officii Septem Dolorum Beatæ Mariæ Virginis. In primo verò, ſemper leguntur de ſcriptura occurrente.

MENSE JANUARIO.

Secunda die infra Octavam.

In Secundo Nocturno.

Sermo Venerabilis Bedæ Presbyteri.

De expoſitione in cap. 2. Lucæ circa finem.

TUam ipſius animam pertranſibit gladius. Nulla docet hiſtoria Beatam Virginem ex hac vita gladii occiſióne migraſſe, præſertim cum non anima, ſed corpus ferro ſoleat interfici. Unde reſtat intelligi gladium illum, de quo dicitur: Et gladius eſt in labiis eorum, hoc eſt dolorem Dominicæ Paſſionis, ejus animam pertranſiſſe. Quæ etſi Chriſtum utpotè Dei Filium, ſpontè propria mori, mortemque ipſam non dubitaret eſſe devicturum, ut ſua tamen carne procreatum non ſine doloris affectu potuit vidére crucifigi. Nam & ferrum, quod animam Joſeph pertranſiſſe canitur, nullum melius, quam dura tribulatio mentis intelligitur.

℞. Je-

℟. Jeſum bajulantem ſibi Crucem: * Sequebatur turba mulierum, quæ plangèbant, & lamentabantur eum.

℣. Filiæ Ieruſalem ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Sequebatur turba.

Lectio v.

UT revelentur ex multis cordibus cogitationes. Incertum erat quondam, qui Iudæorum gratiam Chriſti, quam venturam utique noverant, recipere, qui autem reſpuere mallent. At ejus nativitate audita, revelatis mox cordium cogitationibus, Heródes Rex turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo. Paſtores cum timore, & gaudio Deo laudem reſonant, hominibus pacis nuncium pandunt. Ejus doctrina, & virtute diffamata, alii ad eum quaſi magiſtrum veritatis confluunt, alii ab eo quaſi ſeductore refugiunt. Ejus ſigno Crucis erecto, hi quaſi juſtæ morti datum blaſphemantes irrídent, illi quaſi vitæ auctorem mori acriter dolent.

℟. Poſtquam venerunt in locum, qui dicitur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum: * Stabat autem juxtà Crucem Ieſu Mater ejus.

℣. Tunc beatam illius animam doloris gladius pertranſivit. Stabat autem.

Lectio vi.

SEd & uſque hodie, & uſque ad conſummationem ſeculi præſentis Eccleſiæ animam gladius duriſſimæ tribulationis pertranſire non ceſſat, cùm ſigno fidei ab improbis contradici, cùm audíto Dei verbo multos cum Chriſto reſurgere, ſed plures à credulitate ruere gemebunda pertractat. Cùm revelatis multorum cordium cogitationibus, ubi optimum Evangelii ſevit ſemen, ibi zizania vitiorum, vel plus juſto prævalére, vel etiam, quod dictu grave eſt, ſola germináre, ac regnáre conſpicit.

℟. Ioſeph ab Arimathæa; * Petiit Corpus Ieſu, quod de Crrce depoſitum, * Suo complexu Mater excepit.

℣. Dolens Sunamítis ſinu, & genibus ſuis ſuſtinuit mortuum filium. Petiit Corpus. Gloria Patri. Suo complexu.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii ſecundùm Ioannem.

Lectio vij. *Cap. 19.*

IN illo tempore: Stabant [redacted] juxtà Crucem Ieſu mater ejus, & ſoror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ. Et reliqua.

Homilía S. Bonaventúræ Epiſc.

Enarr. in Evang. Luc. cap. 2. t. 2.

QUanùm ad myſterium Dominicæ paſſionis additur:

Digitized by Google

ditur: Et dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael. Et hoc divino judicio. In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant: & qui vident, cœci fiant. Quantùm ad martyrium maternæ compaſſionis, dicitur: Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, ideſt tui ipſius gladius compaſſionis. Unde ipſi competit illud: Ferrum pertranſiit animam ejus. Dolores, quos pariens effugit, tempore paſſionis ſuſtinuit.

℟. Quis tibi ſenſus fuit ò Mater Dolorum: * Dum Ioſeph ſindone filium tuum involvit, & poſuit eum in monumento.

℣. Conſiderate, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus. Dum.

Lectio viij.

UNde Bernardus ait: Dum perforatur lancea ille tuus Ieſus, omnium quidem, ſed ſpecialiter tuam ipſius animam mundam gladius pertranſivit, quia ille jam expiraverat; unde te plusquam martyrem prædicamus. Et Hieronymus: Quia mente paſſa eſt, plusquam martyr fuit. Unde, quia ipſa veraciter diligebat, ex affectu intimo vehementer compatiebatur. Alii vero, qui corde non diligebant, exultabant. Et ideo additur: Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Ut eſt hic conſequutum, quia hoc conſequutum eſt ad paſſionem Chriſti, quia videlicet Iudæorum carnalium, & Hypocritarum fuit cordis iniquitas revelata.

℟. In toto corde tuo gemitus matris tuæ ne obliviſcaris; * Ut perficiatur propitiatio, & benedictio.

℣. Ave Princeps generoſa, Martyrumque prima roſa, Virginumque lilium. Ut perficiatur. Gloria. Ut perficiatur.

Lectio ix.

NOta ſpiritualiter, quod ex conſideratione paſſionis Chriſti debet triplex gladius ſpiritualis animam pertranſire. Primus gladius eſt diſcretionis rectæ fidei, & gladius ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Secundus gladius eſt diſcretionis ſeveri judicii: De ore ejus gladius utràque parte acutus exibat. Tertius eſt gladius diviſionis humani deſiderii: Non veni pacem mittere, ſed gladium. Pertranſit autem animam primus gladius per veram fidem: Vivus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens uſque ad diviſionem animæ,

Digitized by Google

ac ſpiritus, compagum quoque, ac medullarum. Secundus, per rigorem pœnitentiæ: Gladii ancipites in manibus eorum. Tertius, per ardorem benevolentiæ: En lectulum Salomonis. Et poſt: Omnes tenentes gladios.

Te Deum laudamus.

MENSE FEBRUARIO.

Tertia die infra octavam.

In Secundo Nocturno.

Sermo S. Bernardi Abbatis

Ex tract. de lament. in Virg. in init.

Lectio iv.

QUis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut poſſim flere per diem, ac noctem, donec ſervo ſuo Dominus Jeſus appareat viſu, vel ſomno conſolans animam meam? O vos, filiæ Jeruſalem ſponſæ dilectæ Dei una mecum lacrymas fundite, donec veſter ſponſus in ſua ſpecioſitate benignus appareat, vel occurrat. Recolite, recolite, & ſedula mente penſate, quàm ſit amárum ab ipſo ſeparari, cui vos promiſiſtis, ac nupſiſtis, cui vos in omni ſanctitate voviſtis. Voviſtis vota, reddite ea, vos ipſas Chriſto voviſtis, vos ipſas Chriſto reddite. Currite filiæ, currite virgines ſacræ, currite matres Chriſto caſtitatem voventes, omnes ad Virginem currite, quæ peperit Chriſtum. Ipſa enim portavit Regem gloriæ, illum omni petenti datura.

℟. Jeſum bajulantem ſibi Crucem: * Sequebatur turba mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum.

℟. Filiæ Jeruſalem ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Sequebatur.

Lectio v.

IPſa genuit eum, lactavit eum, die octava circumciſdit, & quadrageſima præſentavit in templo duos turtures, vel duos pullos columbarum pro eo offerens in holocauſtum. Fugiens ab Heróde ipſum portavit in Ægyptum lactans eum, & nutriens, curam illíus habens, ſequens eum ferè quòcumque pergébat. Credo etiam firmiter, quod ipſa Mater Jeſu erat inter illas fœminas, quæ ipſum ſequebantur miniſtrantes ei. Nullus debet indè admirari, ſi ſequebatur eum, cum ipſe eſſet totus ejus dulcor, ſolatium, deſiderium, & ſolámen. Hanc etiam arbitror fuiſſe inter illas dolentes, atque gementes, quæ lamentabantur flentes Dominum.

℟. Poſtquam venerunt in locum, qui dicitur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum: * Stabat

Digitized by Google

bat autem juxtà Crucem Jeſu Mater ejus.

℣. Tunc beatam illius animam doloris gladius pertrāſivit. Stabat autem.

Lectio vi.

POterat etiam & hæc eſſe inter illas fœminas filias Jeruſalem, ad quas Jeſus tunc non clarus imperio, ſed plenus opprobrio, ſpinis coronatus, ſputis illitus, flagellis afflictus, ſibi in angariam mortis crucem bajulans converſus dixit: Filiæ Jeruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Putasnè Domina mundi, Domina mea, Mater dilecta ejuſdem Chriſti, eſt nè verum quod dico? En obſecro, ut dicas ſervulo tuo, decus Paradiſi, gaudium Cœli, veritatem hujus rei. Obliviſcere tamen cauſam doloris rogo, quem tunc paſſum te fuiſſe non dubito. Utinam dolor ille ſic quotidiè inhæreret viſceribus meis, ſicut inhæſit tunc tuis.

℟. Joſeph ab Arimathæa,* Petiit corpus Jeſu, quod de Cruce depoſitum,* Suo complexu Mater excepit.

℣. Dolens Sunamítis ſinu,& genibus ſuis ſuſtinuit mortuū filium. Petiit corpus. Gloria. Suo complexu.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Joannem.

Lectio vij. *Cap.* 19.

IN illo tempore: Stabant [redacted] juxtà Crucem Ieſu mater ejus, & ſoror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ. Et reliqua.

Homilía Sancti Epiphanii Epiſcopi.

Tom. 2. lib. 3. contra Antidicomarianitas hæret.

CUm Chriſtus in Cruce penderet, ut in Ioannis Euangelio ſcriptum eſt, converſus, inquit, vidit diſcipulum, quem diligebat Dominus, eique de María dixit: Ecce mater tua. Tum matri: Ecce filius tuus: Atqui ſi María liberos habuiſſet, aut ſuperſtes vir ejus fuiſſet, cur illam Ioanni, Ioannem illi cōmendaret? Verùm cur non Petro potius, vel Andrææ, vel Matthæo, Bartholomæóve commendat? Nimirùm Ioanni propter virginitatem hoc tribuit.

℟. Quis tibi ſenſus fuit, ò Mater dolorum: *Dum Ioſeph ſindone filium tuum involvit, & poſuit eum in monumento.

℣. Conſideráte, & vidéte ſi eſt dolor, ſicut dolor meus. Dum Ioſeph. *Lectio viij.*

ECce, inquit, mater tua. Quamquam ſi corpus con-

Digitized by Google

conſideres, Ioannis mater non erat: ſed eam ipſam virginitatis eſſe principem ſignificare voluit: quoniam ab illa vita proceſſit. Ad hæc Ioannem, licèt alienus, ac minimè propinquus eſſet, verbis illis affatus eſt, uti matrem honorandam eſſe monſtraret. Siquidem ex illa Dominus, quod ad corpus attinet, re vera natus eſt: ne quis fortaſſe totum Incarnationis negotium putet externa ſpecie, non veritate conſtare.

℞. In toto corde tuo gemitus Matris tuæ ne obliviſcaris: * Ut perficiatur propitiatio, & benedictio.

℣. Ave princeps generoſa, Martyrumque prima roſa, Virginumque lilium. Ut perficiatur. Gloria. Ut perficiatur.

Lectio ix.

NAm niſi verè mater ejus extitiſſet, à qua carnem acceperat, quæque ipſum pepererat; non tantam ei curam adhibéret, ut perpetuam Virginem commendáret, quæ & mater ob ſuſceptum ex ipſa corpus fuiſſet, & ob illius honorem, atque admirabile corporis ſui vas nullam labem admiſiſſet. Sed pergit Euangelium: & ex illa, inquit, die accepit eam diſcipulus ad ſeſe. Atqui ſi & virum habéret, & domum, & liberos, ad ſua potiùs, quàm ad alienum ſeſe conferret.

Te Deum laudamus.

MENSE MARTIO.

Quarta die infra octavam.

In Secundo Nocturno.

Sermo Sancti Bonaventúræ Epiſcopi.

Parte 1. Stimul. Divini Amoris.

Lectio iv.

COnſideremus ergo quanta tunc amaritudine repletus erat Angelorum dulcédo, quantùmque aggravabat eum non tantùm pœnæ illatio, & noſtra ingratitudo, ſed & aſſiſtentis matris afflictio, quam ſic diligebat, & quaſi deficere piæ compaſſionis dolore videbat. Ibi filius crucifigebatur cum matre, & propter mutuam, & intenſam dilectionem ex compaſſione mutua erat nimia afflictio, & maximè, cum pro invicem paterentur.

℞. Jeſum bajulantem ſibi Crucem, * Sequebatur turba mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum.

℣. Filiæ Jeruſalem ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Sequebatur turba.

Lectio v.

SCiebat mater, quod filius patiebatur pro ipſa, ſicut pro reliquis redimendis: ſciebat filius, & certiſſimè ſcruta-

Digitized by Google

tabatur, quod ſuus gladius ex compaſſione, matris animam pertranſibat. Undè paſſio filii erat paſſio matris. Eja ergo Chriſtiane hæc verte, & converte in corde tuo, & totum cor tuum reple conviciis illis, & pœnis, videns Dominum tuum, & ſponſum tuum pro te talia ſuſtinére.

℟. Poſtquàm venérunt in locum, qui dicitur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum. * Stabat autem juxtà Crucem Jeſu Mater ejus.

℣. Tunc beatam illius animam doloris gladius pertranſivit. Stabat.

Ex eodem in meditation. vitæ Chriſti. cap. 79.

Lectio vi.

DOminus autem in Cruce pendens, uſque ad exitum ſpiritus non fuit otióſus, ſed faciebat, & docébat utilia pro nobis: undè ad matrem dixit: Mulier ecce filius tuus. Et ad Joannem: Ecce mater tua. Non vocavit eam matrem, ne præ amoris vehementis teneritudine amplius ipſa doléret. O qualis tunc erat anima matris, cum ſic pœnóſè videbat eum deficere, languére, lacrymari, & mori! Quid tunc Magdalena fidelis, & dilecta diſcipula? Quid Joannes præ omnibus dilectus? Quid aliæ duæ ſorores Dominæ faciebant? Sed, quid facere poterant replétæ amaritudine, complétæ doloribus, inebriátæ abſynthio? Irremediabiliter omnes flebant.

℟. Joſeph ab Arimathæa, * Petiit corpus Jeſu, quod de Cruce depoſitum, * Suo complexu Mater excepit.

℣. Dolens Sunamitis ſinu, & genibus ſuis ſuſtinuit mortuum filium. Petiit corpus. Gloria Patri. Suo complexu.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore: Stabant juxtà Crucem Jeſu mater ejus, & ſoror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ. Et reliqua.

Homilia Sancti Anſelmi Epiſcopi.

De excellent. B. V. cap. 5. circa medium.

CUm ad ipſam ejus Paſſionem ventum fuiſſet, & ipſe Cruci affixus, hinc ipſam matrem ſuam, hinc diſcipulum, quem diligebat, propè aſtantes intuitus eſſet, ne matrem penitùs orbatam relinqueret, ei præſentem diſcipulum ſuo loco in filium ſurrogavit: Mulier, inquit, ecce filius tuus. O commutatio! Pro æterno, & incommutabili Deo, purum, & corruptibilem hominem: pro naturali, & unico filio, ſervum acce-

Digitized by Google

accepit in filium. O Domina, quæ, precor, in te ſibi ſuccedebant, cùm tam inæſtimabilem commutationẽ ab ipſo, quem ſuper omnia diligebas, tibi fieri audiebas?

℟. Quis tibi ſenſus fuit, ò Mater dolorum; * Dum Ioſeph ſindone filium tuum involvit, & poſuit eum in monumento.

℣. Conſiderate, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus. Dum Ioſeph.

Lectio viij.

VEre pertranſivit animam tuam gladius, qui tibi amarior fuit omnibus doloribus cujusvis corporeæ paſſionis: Quidquid enim crudelitatis inflictum eſt corporibus Martyrum, leve fuit, aut potiùs nihil comparatione tuæ paſſionis, quæ nimirùm ſua immenſitate transfixit cuncta penetralia tua, tuique beniſſimi cordis intima. Et utique pia Domina non crediderim, te potuiſſe ullo pacto ſtimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, ſuſtinere, niſi ipſe ſpiritus vitæ, ſpiritus conſolationis, ſpiritus ſcilicet dulciſſimi filii tui, pro quo moriente conquerebaris, tantoperè torquebaris, te confortaret, te conſolaretur, te intus doceret non eſſe mortẽ eum abſumentem, ſed magis triumphum omnia ei ſubjicientem, quod in ipſo fieri coram moribundo videbas. Mortuus eſt tamen, & ab oculis tuis te ſpectante ſepulcro recluſus.

℟. In toto corde tuo gemitus matris tuæ ne obliviſcaris; * Ut perficiatur propitiatio, & benedictio.

℣. Ave Princeps generoſa, Martyrumque prima roſa, Virginumque lilium. Ut perficiatur. Gloria. Ut perficiatur propitiatio.

Lectio ix.

CÆtera ſilentio premo, penitus ignorans ubi, vel unde aliquid dicendum aſſumam, ex quo luctus tui modum, ò pudiciſſima Virgo, alicui proponere queam; ſiquidem cùm illum, per quem te virginem concepiſſe, virginem peperiſſe, & poſt partum virginem noveras permanſiſſe, necnon per quem te intelligebas ab omni generatione Beatam dici meruiſſe, videbas iniquorum ſævitia tam crudeli nece peremptum, tam ſubitò tuis aſpectibus abſtractum, & ſepulcri antro recluſum. Quid ego? Neſcio quid haberem, ubi, vel unde acciperem, quod in conſiderationem tui ſtatus animi, quem gerebas eo tempore, cuilibet panderem.

Te Deum laudamus.

Digitized by Google

ctiſſimam, ac beatiſſimam Virginem matrem ejus, tantis cruciári ſingultibus, tam amáris replèri doloribus, tam abundantibus lacrymis madidàri, ſic amariſſimè flere, quod nullo modo poterat ſuas lacrymas refrænàre. Et quis poterat tunc à lacrymis ſe abſtinere? Fiebat proindè mœror, & luctus ab Angelis, ibique præſentibus, qualis decébat ſpiritus almos; immò mirarer, ſi omnes Angeli in illa beatitudine, ubi flere eſt impoſſibile, non fleviſſent. Credo, propter quod & loquor, quia dolébant, ſi dolère valébant; ſicut enim fuit poſſibile, Deum per aſſumptum hominem mori, ita fortè poſſibile, Angelos bonos dolère de morte Domini Dei ſui.

℟. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur, * Cujus livóre ſanati ſumus, alleluja.

℣. Ioſeph ab Arimathæa petiit corpus Ieſu, quod de Cruce depoſitum excepit. Cujus livóre. Gloria. Cujus.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Ioannem.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore: Stabant [redacted] juxtà Crucem Ieſu Mater ejus, & ſoror matris ejus María Cleophæ, & María Magdalenæ. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbàtis.

Ex tractatu de lament. Virginis propè medium.

TUnc jam Dominus anxius in Cruce, annuens oculis, & vultu de Ioanne ait: Mulier ecce filius tuus. Erat enim Joannes præſens, vultu triſtis, & corde mœſtiſſimus, lacrymis ſemper plorans. Ac ſi diceret: O Mater dulciſſima, mollis ad flendū, mollis ad dolendum, tu ſcis, quia ad hoc veni, & ad hoc de te carnem aſſumpſi, ut per Crucis patibulum ſalvàrem genus humànum. Die tertia reſurgam, tibi, & diſcipulis meis patenter appárens: Deſine flere, & dolorem depóne, quia ad Patrem vado, & ad gloriam paternæ majeſtatis percipiendam aſcendo. Congratuláre mihi, quia nunc invenio ovem errantem, quam tam longo tempore perdideram.

℟. Cum filius meus involútus ſindone poſitus eſt in monumento; * Caro mea requievit in ſpe reſurrectionis ejus. Alleluja.

℣. Meſſui myrrham meam cum aromatibus meis. Caro mea requievit.

Lectio viij.

MOritur unus, ut totus inde reviviſcat mundus. Unſus ob meritum cuncti periere minores, & nunc ſal-

Digitized by Google

ſalvantur unſus ob meritum. Noli flere mulier, noli flere Mater ſpecioſiſſima, non te deſero, non te relinquo. Tecum ſum, & tecum ero omni tempore ſeculi. Secundum carnē ſubjaceo imperio mortis, ſecundum Divinitatem ſum, & ero ſemper immortalis, & impaſſibilis. Bene ſcis unde proceſſi, & unde veni. Quare ergo triſtàris, ſi illuc aſcendo, unde deſcendi? Tempus eſt, ut revertar ad eum, qui me miſit. Et quò ego vado, tu nō potes venire modo, venies autem poſtea. Interim Joannes reputabitur tibi filius, curam habebit tui, & erit ſolatium fideliſſimum tibi.

℟. In toto corde tuo gemitus matris tuæ ne oblivifcaris; * Ut perficiatur propitiatio, & benedictio. Alleluja.

℣. Ave Princeps generoſa, martyrumque prima roſa, Virginumque lilium. Ut perficiatur, Gloria. Ut perficiatur.

Lectio ix.

INde Dñs intuitus Joannem, ait: Ecce Mater tua, et ſervies, curam illius habebis, eam tibi commendo; ſuſcipe Matrem tuam, immo magis ſuſcipe Matrem meam. Dum hæc pauca diceret, illi duo dilecti lacrymas fundere non ceſſabant. Tacebant ambo illi martyres, & præ nimio dolore loqui non poterant. Audiebant, & tacebant, quia præ anguſtia loqui non poterant. Solus ille dolor, luctusque remanſit amicus. Amabant flere, & flebant amare; Amare flebant, quia amore dolebant, nam gladius mortis Chriſti, animas utrorumque tranſibat. Tranſibat ſævus, ſævus perimebat utrumque; Quo magis amabat ſævior fiebat in matre.

Te Deum laudamus.

MENSE MAJO.

Sexta die infra Octavam.

In Secundo Nocturno.

Sermo S. Anſelmi Epiſcopi.

Ex Dialogo de Paſſione Domini. pag. 230.

Lectio iv.

QUid feciſti tunc Domina chariſſima? Stabam juxtà crucem tam plena mœróre, quod conſolationem ferre non poteram, & mecum ſtabant ſorores meæ, & Maria Magdalenæ. Et cum filius meus vidiſſet me, & Joannem diſcipulum ſuum, quem diligebat, dixit: Mulier, ecce filius tuus. O quam miſerabilis licentia! Deinde dicit Diſcipulo: Ecce mater tua. Erat autem quaſi hora ſexta: & factæ ſunt tenebræ ſuper univerſam terram uſque ad horam nonam.

℟. Jeſus bajulans ſibi Crucem

Digitized by Google

cem dixit mulieribus,quæ ſequebantur eum: * Nolite flere. Alleluja.

℣. Gloriari oportet in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, in quo eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra. Nolite flere.

Lectio v.

CHariſſima Domina, habuit adhuc finem dolor tuus? Non; quia nondum plenè prophetìa Simeonis impleta fuit,ſcilicet, tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Audi ergo, quod ſuper omnia eſt lamentabile. Judæi ergo quoniam Paraſcève erat, rogabant, ut non manèrent in Cruce corpora Sabbato. Ad Jeſum autem cum veniſſent, & vidèrent eum jam mortuum,non fregèrunt ejus crura, ſed unus militum lanceà latus ejus aperuit.Et tunc cœpi clamare, & ejulare, ſed jam omninò lacrymæ in me defecerunt: tantùm fleveram noĉte præterita, & die illa, & dicebam: Eja dulciſſime fili mi, ubi eſt nunc conſolatio, quam ſemper in te habui? Quis mihi det, ut ego moriar pro te fili mi Jeſu.

℟. Mater Jeſu ſtabat juxtà Crucem Domini: * In qua Chriſtus triumphavit,& mors mortem ſuperavit in æternum. Alleluja.

℣. Stemus,& nos ante Crucem cum María. In qua.

Lectio vi.

ET cum eum ſepellire vellent, cum magno mœróre corpus fortiſſimè tenui, & ſepelìri vix permiſi, dicens: Chariſſime Joannes, relinque mihi mortuum filium meum, quem non potui habère vivum. Sed ſi neceſſe eſt,ut hoc facias,rogo te,ut me cum ipſo ſepelias. Joannes reſpondit: Scis Domina chariſſima,quod aliter eſſe non potuit, & genus humanum ſic redimi debuit. Tandem invìta permiſi, ut ſepeliretur.Populus autem me videns indútam veſte aſperſa ſanguine, ſicuti ante Jeſum ſteteram, & ſanguis ejus ſuper me ſtillaverat,unanimiter clamabant gementes: O quanta injuria facta eſt hodie in Jeruſalem in iſta Domina, & filio ſuo, & compatiebantur nobis.

℟. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur: * Cujus livóre ſanati ſumus.

℣. Joſeph ab Arimathæa petiit Corpus Jeſu, quod de Cruce depoſitum excepit. Cujus livóre. Gloria. Cujus livóre.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Joannem.

Lectio vij. cap. 19.

IN illo tempore: Stabant [redacted] juxtà Crucem Jeſu

 mater

Digitized by Google

Mater ejus, & ſoror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalènæ. Et reliqua.

Homilia Sancti Ambroſii Epiſcopi.

Ex Epiſtola 25. ad Vercell. propè finem.

MAria mater Domini ante Crucem filii ſtabat: Nullus me hoc docuit, niſi Sanctus Ioannes Evangeliſta. Mundum alii concuſſum in paſſione Domini conſcripſerunt, cœlum tenebris obductum, refugiſſe Solem, in Paradiſum Latrónem, ſed poſt piam cõfeſſionem, receptum. Ioannes docuit, quod alii non docuerunt, quemadmodum in Cruce poſitus matrem appellaverit, pluris putans, quod victor ſuppliciorum pietàtis officia matri exhibèbat, quam quod regnum cœleſte donàbat.

℟. Cum filius meus involútus ſindone poſitus eſt in monumento;* Caro mea requievit in ſpe reſurrectionis ejus. Alleluja.

℣. Meſſui myrrham meam cum aromatibus meis. Caro mea.

Lectio viij.

NAm ſi religioſum eſt, quod Latróni donatur venia; multò uberioris pietàtis eſt, quod à filio mater tanto affectu honorátur. Ecce, inquit, filius tuus; ecce Mater tua. Teſtabatur de Cruce Chriſtus, & inter matrem, atque diſcipulum dividèbat pietatis officia. Condèbat Dominus, non ſolum publicum, ſed etiam domeſticum teſtamentum, & hoc ejus teſtamentum ſignabat Ioannes, dignus tanto teſtatore teſtis.

℟. In toto corde tuo gemitus matris tuæ nè obliviſcaris,* Ut perficiatur propitiatio, & benedictio. Alleluja,

℣. Ave Princeps generoſa, martyrumque prima roſa, Virginumque lilium. Ut perficiatur. Gloria. Ut perficiatur.

Lectio ix.

BOnum teſtamentum non pecuniæ, ſed vitæ æternæ, quod non atramento ſcriptum eſt, ſed ſpiritu Dei vivi, qui ait: Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. Sed nec Maria minor, quam matrem Chriſti decèbat. Fugientibus Apoſtolis ante Crucem ſtabat, & piis ſpectabat oculis filii vulnera; quia expectabat, non pignoris mortem, ſed mundi ſalútem. Aut fortaſſe, quia cognoverat per filii mortem mundi redemptionem, aula regális: etiam ſua morte putabat, ſe aliquid publico additùram muneri. Sed Ieſus non egebat adjutóre ad redemptionem omnium, qui omnes ſine adjutorio ſervavit. Suſcèpit quidem

Digitized by Google

dem affectum parentis, ſed non quæſivit alterius auxilium. Te Deum.

MENSE IUNIO.

Septima die infra Octavam.

In Secundo Nocturno.

Sermo S. Bernardi Abbàtis.

Ex Tractatu de lamentat. Virg.

Lectio iv.

STabam & ego videns eum, & ipſe videns me; Plus dolebat de me, quam de ſe. Ipſe vero, tamquam agnus coram tondente ſe, vocem non dabat, nec aperièbat os ſuum. Aſpiciebam ego infélix, & miſera Deum meum, & filium meum in Cruce pendentem, & morte turpiſſima morientem; tantoque dolore, & triſtitia vexabar in mente, quod non poſſit explicari ſermone. Nec mirùm; erat enim aſpectu dulcis, colloquio ſuavis, & omni converſatione benigniſſimus.

℟. Jeſum bajulantem ſibi Crucem, * Sequebatur turba mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum.

℣. Filiæ Jeruſalem ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Sequebatur turba.

Lectio v.

MAnabat namque ſanguis ejus ex quatuor partibus rigantibus undis, ligno manibus, pedibusque confixis. Videbam, quod complebatur illud propheticum in eo: Vidimus eum, & non erat ei ſpecies, neque decor. Vultum enim illius iniquorum Judæorum fœdaverat livor. Iſte erat dolor meus maximus, quia videbam me deſeri ab eo, quem genueram, nec ſupererat alius, quia mihi erat unicus. Vox mea ferè perierat omnis, ſed dabam gemitus, ſuſpiriaque doloris. Volèbam loqui, ſed dolor verba rumpèbat: quia verbum jam mente conceptum, dum ad formationẽ procederet oris, ad ſe imperfectum revocàbat dolor intimus cordis.

℟. Poſtquam venèrunt in locum, qui dicitur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum: * Stabat autem juxtà Crucem Jeſu Mater ejus.

℣. Tunc beatam illius animam doloris gladius pertranſivit. Stabat autem.

Lectio vi.

VIdebam morientem, quẽ diligebat anima mea, & tota liquefiebam præ doloris anguſtià. Aſpiciebat & ipſe benigniſſimo vultu me matrem plorantem, & verbis paucis volvit me conſolàri, ſed ego nullo modo conſolàri potui. Flebam dicendo, & dicebam flendo. Fili mi, fili mi. Væ mihi, væ mihi. Quis dabit mihi, ut ego moriar pro te fili mi? O miſera quid faciam?

Digitized by Google

ciam? Moritur filius meus. Cur ſecum non moritur hæc mœſtiſſima mater ejus? Mi fili, fili mi. Amor unice, fili dulciſſime, noli me derelinquere poſt te, trahe me ad teipſum, ut & ego moriar tecum. Malè ſolus moráris, moriatur tecum iſta tua Genitrix.

℟. Joſeph ab Arimathæa; * Petiit corpus Jeſu, quod de Cruce depoſitum;* Suo complexu mater excepit.

℣. Dolens Sunamîtis, ſinu, & genibus ſuis ſuſtinuit mortuum filium. Petiit corpus. Gloria. Suo complexu.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Joannem.

Lectio vij. *Cap.* 19.

IN illo tempore: Stabant [redacted] juxtà Crucem Jeſu Mater ejus, & ſoror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ. Et reliqua.

Homilía Sancti Bonaventuræ Epiſcopi.

In Stimulo Amoris par. 1. *cap.* 4.

STabat juxtà Crucem Jeſu Mater ejus. O Domina mea, ubi ſtabas? Numquid tantum juxtà Crucem? Immo certè in Cruce cum filio ibi crucifixa eras ſecum. Sed hoc diſtat, quia ipſe in corpore, tu autem in corde, nec non & ejus vulnera per corpus ejus diſperſa ſunt in corde tuo unita. Ibi Domina, lanceatum eſt cor tuum, ibi ſpinis coronatum, ibi illúſum, exprobratum, & contumeliis plenum, acéto & felle potátum. O Domina cur iviſti immolári pro nobis? Numquid non ſufficiebat filii paſſio nobis, niſi crucifigeretur & Mater? O cor Amoris, cur converſum es in globum doloris?

℟. Quis tibi ſenſus fuit, ò Mater dolorum: * Dum Joſeph ſindone filium tuum involvit, & poſuit eum in monumento.

℣. Conſiderate, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus. Dum Joſeph.

Lectio viij.

ASpicio Dña cor tuum, & id, non cor, ſed myrrham, & abſynthium, & fel video. Quæro Matrem Dei, & ecce invenio ſputa, flagella, & vulnera: quia tota converſa es in iſta. O amaritudine plena, quid feciſti? Cur vas ſanctitatis feciſti vas pœnalitatis? O Domina quarè iviſti ad Calvariæ locum? Non eſt tua conſuetudo Domina ad talia ſpectacula properare. Cur te non retinuit pudor mulieris? Cur te non retinuit horror facinoris? Cur te non retinuit verecundia Virginitatis? Cur te non retinuit loci turpitudo, multitudo vulgi, deteſtatio mali? Cur te non retinuit clamoris vehementia, ſtulto-

rum

rum veſania, dæmoniacorum caterva? Hæc non conſideraſti Domina, quia cor tuum alienatum totum præ dolore non erat in te, ſed in afflictione filii, & in vulneribus unici, & in morte dilecti.

℟. In toto corde tuo gemitus matris tuæ ne obliviſcaris; * Ut perficiatur propitiatio, & benedictio.

℣. Ave Princeps generoſa, martyrumque prima roſa, Virginumque lilium. Ut perficiatur. Gloria Patri. Ut perficiatur.

Lectio ix.

O Mira res! Tota es in vulneribus Chriſti, totus Chriſtus crucifixus eſt in intimis viſceribus cordis tui. Quomodo eſt hoc, quod continens ſit in contento? O homo, vulnera cor tuum, ſi vis hanc intelligere quæſtionem. Aperi cor tuum clavis, & lancea, & veritas ſubintrabit. Non enim intrabit Sol juſtitiæ in cor clauſum. Sed ò vulnerata Domina vulnera corda noſtra, & in cordibus noſtris tuam, & filii tui renova paſſionem. Cor tuum vulneratum conjunge cordi noſtro, ut tecum tuis vulneribus pariter vulneremur.

Te Deum laudamus.

MENSE JULIO.

Et in die Octavæ.

In Secundo Nocturno.

Sermo S. Bonaventuræ Epiſcopi.

Sermone primo de B. Virgine.

Lectio iv.

MAgnus Dominus noſter, & magna virtus ejus, & ſapientiæ ejus non eſt numerus. Unde hoc probatur? Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. Domina autem fuit Cœlum. Firmamentum uniformiter ſemper motum per patientiæ firmitatem: & cœlum ſtelliferum per omnium donorum, & gratiarum Dei copioſitatem. Sicut enim Cœlum non eſt ullo modo poroſum, ſed ſolidum; ſic Dei Mater pia nullo modo fuit poroſa, vel vacua, ſed ſolida; quia omni gratia fuit plena. Cujus admirabilis patientia, & ſoliditas non poroſa, tunc maximè claruit, quando prædulcem filium ſuum mori conſpexit.

℟. Jeſum bajulantem ſibi Crucem: * Sequebatur turba mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum.

℣. Filiæ Jeruſalem ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Sequebatur turba.

Lectio v.

NAm licet in ea aquæ inferiores, ideſt vires ſen-

Digitized by Google

ſenſitivæ, vel ſenſibiles fortiſſimè fuerint concuſſæ ventis in ſui filii paſſione; ſuperiores tamen à ſua non fuerunt pace permótæ. Et licet ſentina navis, ideſt pars ſenſibilis, repleta tunc fuerit aquis maris; pars tamen ſuperior navis ſemper ventis proſperis navigavit. Unde ipſa eſt illa petra, ſuper quam domus fundata, & firmata, quam etſi flumina, ventique percutiant; tamen inter flumina illa immobilis perſevèrat; Unde ei potuit dicere Chriſtus illud Matthæi: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: quia in paſſione Dominica tota deficiente Eccleſia primitivorum in fide, ſola Domina noſtra firma in fide permanſit, ut petra.

℞. Poſtquam venerunt in locum, qui dicitur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum: * Stabat autem juxtà Crucem Jeſu Mater ejus.

℣. Tunc beatam illius animam doloris gladius pertranſivit. Stabat autem.

Lectio vj.

Fuit ergo ſimilis adamanti, cujus tanta eſt fortitudo, ut ſanguine ſolo rumpatur hircino. Quia Maria regia Virgo numquam niſi Chriſti ſanguine recenter effuſo potuit eſſe turbata: quia nullo fuit alio tempore perturbata. Si enim juxtà Philoſophorum ſententiam non cadit perturbatio in ſapientem virum; quantò magis Domina omnium ſapientiſſima numquam perturbationem mentis eſt paſſa?

℞. Ioſeph ab Arimathæa * Petiit corpus Ieſu, quod de Cruce depoſitum: * Suo complexu mater excepit.

℣. Dolens Sunamitis, ſinu, & genibus ſuis, ſuſtinuit mortuum filium. Petiit corpus. Gloria. Suo complexu.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore: Stabant [redacted] juxtà Crucem Jeſu Mater ejus, & ſoror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalènæ. Et reliqua.

Homilia S. Anſelmi Epiſcopi.

De excellent. B. Virginis cap. 5. circa medium.

CUm ad ipſam ejus paſſionem ventum fuiſſet, & ipſe Cruci affixus, hinc ipſam Matrem ſuam, hinc diſcipulū, quem diligebat propè aſtantes intuitus eſſet, ne matrem penitus orbatam relinqueret, ei præſentem diſcipulum ſuo loco in filium ſurrogavit; Mulier, inquit, ecce filius. O commutatio! Pro æterno, & incommutabili Deo, purum, & corruptibilem hominem, pro

Digitized by Google

pro naturali, & unico filio ſervum accepit in filium. O Domina, quæ precor, in te ſibi ſuccedebant, cum tam inæſtimabilem commutationē ab ipſo, quem ſuper omnia diligebas, tibi fieri audièbas?

℟. Quis tibi ſenſus fuit, ò Mater dolorum:* Dum Joſeph ſindone filium tuum involvit, & poſuit eum in monumento.

℣. Conſideràte, & vidète, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus. Dum Joſeph.

Lectio viij.

VErè pertranſivit animam tuam gladius doloris, qui tibi amarior fuit omnibus doloribus cujusvis corporeæ paſſionis: Quidquid enim crudelitatis inflictum eſt corporibus Martyrum, leve fuit, aut potiùs nihil comparatione tuæ paſſionis, quæ nimìrùm ſua immenſitate transfixit cuncta penetralia tua, tuique benigniſſimi cordis intima. Et utique, pia Domina, non crediderim, te potuiſſe ullo pacto ſtimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, ſuſtinére, niſi ipſe ſpiritus vitæ, ſpiritus conſolationis, ſpiritus ſcilicet dulciſſimi filii tui, pro quo moriente conquerebaris, tantoperè torquebaris, te confortáret, te conſolaretur, te intus docèret nō eſſe mortem eum abſumentē, ſed magis triumphum omnia ei ſubjicientem, quod in ipſo fieri corā moribundo videbas. Mortuus eſt tamen, & ab oculis tuis, te ſpectante, ſepulcro reclúſus.

℟. In toto corde tuo gemitus Matris tuæ ne oblivifcaris, * Ut perficiatur propitiatio, & benedictio.

℣. Ave Princeps generoſa, Martyrumque prima roſa, Virginumque lilium. Ut perficiatur. Gloria. Ut perficiatur.

Lectio ix.

CÆtera ſilentio premo, penitùs ignórans, ubi, vel unde aliquid dicendum aſſúmam, ex quo luctus tui modum, ò pudiciſſima Virgo, alicúi proponere queam; ſiquidem cum illum, per quem te virginem peperiſſe, & poſt partum virginē noveras permanſiſſe, necnon per quem te intelligebas ab omni generatione beatam dici meruiſſe, videbas iniquorum ſævitia tam crudeli nece peremptum, tam ſubitò tuis aſpectibus abſtractum, & ſepulcri antro reclùſum: Quid ego? neſcio quid habèrem, vel unde acciperem, quod in conſiderationem tui ſtatus animi, quem gerebas eo tempore, cuilibet panderem.

Te Deum laudamus.

MEN-

Digitized by Google

MENSE AUGUSTO.

In Secundo Nocturno.

Sermo Sancti Hieronymi Presbyteri.

Ex epiſt. 10. ad Paulam, & Euſtochium circa med.

Lectio iv.

BEatiſſimam Dei Matrem circumdabant flores roſarum, & lilia convallium, eo quod omnes animæ martyrio rubricàtæ, eam æternæ dilectionis complectuntur amplexibus; & virginitatis ſplendóre candidàtæ, ac ſi lilia in valle humilitatis enutritæ, circumdant eam, venerationis gratia obſequentes. Rectè igitur Beata Dei Genitrix, & Martyr, & Virgo fuit: quamvis in pace vitam finierit. Hinc quoque, quod verè paſſa ſit, teſtatur Simeon Propheta loquens ad eam: Et tuam, inquit, ipſius animam pertranſibit gladius.

℟. Jeſum bajulantem ſibi Crucem: * Sequebatur turba mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum.

℣. Filiæ Jeruſalem ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Sequebatur. *Lect. v.*

EX quo conſtat, quod ſupra martyrem fuit. Alii namque Sancti, etſi paſſi ſunt pro Chriſto in carne, tamen in anima, quia immortalis eſt, pati non potuerunt. Beata verò Dei Genitrix, quia in ea parte paſſa eſt, quæ impaſſibilis habetur, ideò, ut ita fatear, quia ſpiritualiter, & atrociùs paſſa eſt gladio paſſionis Chriſti, pluſquam martyr fuit.

℟. Poſtquam venérunt in locum, qui dicitur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum. * Stabat autem juxtà Crucem Jeſu Mater ejus.

℣. Tunc beatam illius animam doloris gladius pertranſivit. Stabat. *Lectio vj.*

UNdè conſtat, quia plus omnibus dilexit, propterea, & plus doluit, in tantùm ut animam ejus totam pertranſiret, & poſſidéret vis doloris ad teſtimonium eximiæ dilectionis. Quæ, quia mente paſſa eſt, pluſquàm martyr fuit: nimirùm & ejus dilectio amplius fortis, quàm mors fuit: quia mortem Chriſti ſuam fecit.

℟. Joſeph ab Arimathæa, * Petiit corpus Ieſu, quod de Cruce depoſitum; * Suo complexu Mater excepit.

℣. Dolens Sunamítis, ſinu, & genibus ſuis ſuſtinuit mortuum filium. Petiit corpus. Gloria. Suo complexu.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Ioannem.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore: Stabant [redacted] juxtà Crucem Ieſu Ma-

Digitized by Google

Mater ejus, & ſoror matris ejus Maria Cleophæ,& Maria Magdalenæ. Et reliqua.

Homilía S. Bernardi Abbatis.

Ex tract. de Paſſ. Domini cap. 10.

CUm vidiſſet Ieſus matrem, & diſcipulum, quem diligebat, dixit matri ſuæ: Mulier ecce filius tuus, ac ſi diceret: tu me filio corporaliter priváris; unde tibi amicum præ cunctis dilectum in filium do, cujus præſentia interim, dum abſum, conſoléris. Ad diſcipulum autem: Ecce Mater tua; quaſi diceret: Tu verò patre ſpoliàris, unde hanc Matrem mihi chariſſimã, tibi in Matrem do. Conſervàte jura mutuæ charitatis ad invicem, tu iſtum filium, tu iſtam Matrem habendo. O quàm munificus factus es in nuptiis tuis, Rex, & Sponſe bone Ieſu! Quàm largè,quæ habuiſti, omnia tradidiſti! Ecce ipſis crucifixoribus tuis orationis affectum, latroni Paradiſum, Matri filium, filio Matrem, mortuis vitam, manibus Patris animam tuam, toti mundo ſigna potentię tuę contuliſti.

℞. Quis tibi ſenſus fuit, ò Mater dolorum: * Dum Ioſeph ſindone filium tuum involvit, & poſuit eum in monumento.

℣. Conſiderate, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus. Dum Ioſeph.

Lectio viij.

SEd movet me, quod cum dixiſſet: Mulier ecce filius tuus, ſubjunxit: Ecce Mater tua, cum utique, etiam ſi hoc non ſubjunxiſſet,neceſſarium fuiſſet, eam eſſe Matrem illius, qui in filium ſibi datus erat. Sed hoc, mutuæ charitatis affectum commendàre videtur; ſunt enim nonnulli, qui ab omnibus amari volunt, ſed nullos affectu mutuo complectuntur, volunt, ut eorum labores, & dolores allevientur, & cum ferantur à pluribus, ipſi nullius onera volunt portare.

℞. In toto corde tuo gemitus Matris tuæ ne obliviſcaris, * Ut perficiatur propitiatio, & benedictio.

℣. Ave Princeps generoſa, Martyrumque prima roſa, Virginumque lilium. Ut perficiatur. Gloria. Ut.

Lectio ix.

NOn hoc enim Chriſtus docuit, aut fecit; Portavit enim onera tua inultans te,ut & tu onera portes illius, ideſt, ut paſſionem illius imitèris. Chriſtus enim paſſus eſt relinquens nobis exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus. Hoc & docuit, cum Matrem diſcipulo, & Matri diſcipulum mutuò commenda-

davit, nimirùm nolens, ut charitas ſpiritualis ex una parte frigida remanéret, ſed ut ſimul dormientes, ideſt in vera, & pura charitate ſimul quieſcentes, mutuò calefiant, ideſt alter ab altero ad charitatis exercitia mutuò accendantur.

Te Deum laudamus.

MENSE SEPTEMBRI.

In Secundo Nocturno.

Sermo S. Bernardi Abbàtis.

Ex tract. de lament. Virg. circa medium.

Lectio iv.

VUlnera Chriſti morientis erant vulnera matris dolentis. Dolores ſævi fuerunt tortóres in anima Matris. Mater erat laniata morte chari pignoris. Mente Mater erat percuſſa cuſpide teli, quo membra Chriſti ſervi fodérunt iniqui. Ipſa enim erat, quam dolor tenèbat. In mente ejus creverant immenſi dolores, nec poterant extra refundi. Intùs atrocius ſævientes dolores nati Matris animam gladiabant. In carne Chriſtus ſolvebat debitum mortis, quod gravius erat, quam mori, in anima Matris. Interim Chriſtus, Matre commendata Ioanni, dixit: Sitio. Et dederunt illi, qui crucifixerunt eum, acetum cum felle mixtum; quod, cùm guſtaſſet, noluit bibere. Dixitque: Conſummatum eſt. Et exclamavit voce magna dicens: Heli, Heli, lammaſabacthani? Hoc eſt: Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquiſti? Et hæc dicens expirávit.

℟. Jeſum bajulantem ſibi Crucem, * Sequebatur turba mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum.

℣. Filię Ieruſalem ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Sequebatur turba.

Lectio v.

TUnc terra tremuit, & Sol ſua luminaria clauſit: mœrèbantque populi, mœrèbant ſydera cuncta. Omne ſuum jubar amiſit Luna dolendo; receſſitque omnis ab alto æthere fulgor. Finduntur duri lapides, ſcinduntur faſtigia templi. Petræ duriſſimæ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta. Surrexerunt multi, apertis tumulis, fatentes voce magna Chriſtum eſſe Deum. Cogitare nunc libet, quantus dolor tunc infuit Matri, cùm ſic dolebant, quæ inſenſibilia erant. Nec lingua poterit loqui, nec mens cogitàre valèbit, quanto dolore afficiebantur pia viſcera Mariæ. Nunc ſolvis Virgo cum uſura, quod in partu nō habuiſti à natura; Dolorem pariendo filium nō ſenſiſti, quem millies replicatum, filio moriēte paſſa fuiſti.

℟. Poſt-

Digitized by Google

℟. Poſtquam venérunt in locum, qui dicitur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum. * Stabat autem juxtà Crucem Ieſu Mater ejus.

℣. Tunc beatam illìus animam doloris gladius pertranſivit. Stabat autem.

Lectio vi.

JUxtà Crucem Chriſti ſtabat emortua Mater, quæ ipſum ex Spiritu Sancto concépit. Vox illi non erat, quia dolore attrita facies pallébat. Quaſi mortua vivens, vivebat moriens, moriebatur vivens, nec mori poterat, quæ vivens mortua erat. In illius anima dolor ſævè ſæviebat. Optabat mori magis, quàm vivere poſt mortem Chriſti, quæ malè vivens mortua erat. Ibi ſtabat dolens ſævo dolore confecta. O verum eloquium juſti Simeonis! Quem promiſit, gladium ſentiebat doloris. Expectans corpus Chriſti depóni plorábat dicens: Heu me, heu me. Reddite, vel ſaltem nunc mœſtiſſimæ matri extinctum filium; vel certè, ſi magis libet, me morte illi conjungite, ut cum doloribus ſuis pereant & dolores mei.

℟. Ioſeph ab Arimathæa, * Petiit corpus Ieſu, quod de Cruce depoſitum:* Suo complexu Mater excepit.

℣. Dolens Sunamítis, ſinu, & genibus ſuis ſuſtinuit mortuum filium. Petiit corpus. Gloria. Suo complexu.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii ſecundùm Joannem.

Lectio vij. *Cap. 19.*

IN illo tempore: Stabant [redacted] juxtà Crucem Jeſu Mater ejus, & ſoror matris ejus María Cleophæ, & María Magdalénæ. Et reliqua.

Homilía Sancti Thomæ Aquinátis.

In Ioannem cap. 19.

PRimo ponitur adſtantium mulierum præſentia. Secundo Chriſti de Matre ſollicita diligentia. Tertio prompta Diſcipuli obedientia. Mulieres autem adſtantes juxtà crucem deſcribuntur tres, ſcilicet Mater ejus, & ſoror matris ejus María Cleophæ, & Marìa Magdalénæ. Sed notandum, quod cum alii Evangeliſtæ mentionem faciant de multis mulieribus Chriſto adſtantibus, nullus facit mentionem de beata Virgine, excepto Joanne. Unde ex utrorumq; narratione duplex occurrit dubitatio. Prima quia Matthæus, & Marcus dicunt, quod mulieres ſtabant à longè; Joannes vero, quod juxtà Crucem.

℟. Quis tibi ſenſus fuit, ò Mater dolorum:* Dum Joſeph ſindone filium tuum involvit, & po-

Digitized by Google

& poſuit eum in monumento.
℣. Conſideráte, & vidéte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus. Dum Joſeph.

Lectio viij.

AD hoc dici poteſt, quod aliæ erant mulieres, quas cõmemorant Matthæus, & Marcus, & aliæ, quas commemorat Joannes, ſed huic repugnat, quod Maria Magdalenæ connumeretur inter mulieres, quas Matthæus, & Marcus commemorant, & etiam Joannes. Et ideo dicendum, quod eædem mulieres intelligendæ ſunt iſtæ, & illæ, nec eſt in hoc contradictio. Nam juxtà, & longè relativè dicuntur, & nihil prohibet, aliquod quodammodo dici longè, & quodammodo dici juxtà. Iuxtà quidem fuiſſe dicit, quia in conſpectu ejus erant: ſed longè, quia inter ipſum, & mulieres erant intermedii. Vel poteſt dici, quod à principio crucifixionis ſtabant juxtà eum, ita quod eis loqui poterat: ſed poſtmodum, ſuperveniente multitudine irridentium, recedentes longè ſteterunt. Unde Ioannes narrat, quod primò fuit, alii quod poſtea.

℟. In toto corde tuo gemitus Matris tuæ ne obliviſcaris: * Ut perficiatur propitiatio, & benedictio.
℣. Ave Princeps generoſa, martyrumque prima roſa, Virginumque lilium. Ut perficiatur. Gloria. Ut.

Lectio ix.

SEcunda quæſtio eſt, quia Ioannes cõmemorat Maríam Cleophæ: Sed Matthæus, & Marcus loco ejus Maríam Iacóbi, quæ dicebatur Alphæi. Sed ad hoc dicendum eſt, quod eadem eſt María Cleophæ, quã nominat Ioannes, cum ea Alphæi, quam nominat Matthæus. Habuit enim duos viros, ſcilicet Alphæum, & Cleopham. Vel poteſt dici, quod Cleophas fuit Pater ejus; Quod autem & mulieres ſtabant juxtà Crucem, & diſcipuli, eo relicto, fugérunt, mulierum commendat devotam conſtantiam.

Te Deum laudamus.

MENSE OCTOBRI.

In Secundo Nocturno.

Sermo S. Bernardi Abbátis.

Ex Tract. de lamentat. Virg. paulò poſt init.

Lectio iv.

O Mors miſera, noli mihi parcere, tu mihi ſola præ cunctis places, exagera vires, trucida Matrem, Matrem cum filio perime ſimul. Fili dulcor unice, ſingulare gaudium, vita animæ meæ, & omne ſolatium, fac, ut ego ipſa nunc tecum moriar, quæ te ad mortem genui, ſine Matre

Digitized by Google

tre noli mori. O fili recognoſce me miſeram, & exaudi precem meam: Decet enim filium, exaudire Matrem deſolatam. Exaudi me, obſecro, in tuo me ſuſcipe patibulo, ut, qui una carne vivunt, & uno amore ſe diligunt, una morte pereant.

℞. Ieſum bajulantem ſibi Crucem, * Sequebatur turba mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum.

℣. Filiæ Ieruſalem ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Sequebatur turba.

Lectio v.

O Iudæi impii, ò Iudæi miſeri, nolite mihi parcere. Ex quo natum meum crucifixiſtis, & me crucifigite, aut alia quacumque morte ſæva me perimite, dummodo cum meo filio ſimul moriar. Malè ſolus moritur. Orbas orbem radio, me Iudæa filio, gaudio, & dulcore. Vita mea moritur, & ſalus perimitur, atque de terra tollitur tota ſpes mea. Cur ergo vivit Mater poſt filium in dolore? Tollite, ſuſpendite Matrem cum pignore. Non parcitis proli, non parcatis, & mihi.

℞. Poſtquam venerunt in locum, qui dicitur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum: * Stabat autem juxtà Crucem Ieſu Mater ejus.

℣. Tunc beatam illius animam doloris gladius pertranſivit. Stabat autem.

Lectio vj.

Tu mihi ſoli mors eſto ſæva, nunc ſummè gaudérem, ſi mori cum filio ſimul poſſem. Dulce eſt mihi miſerè mori, ſed mors optáta recédit. Væ mihi, & tibi fili, mors ipſa præcipitáta venit. Morte mori melius eſt mihi, quam vitam ducere mortis. Sed fugit à me miſera, & infelicem me relinquit, cui ipſa mors multùm optata nunc eſſet. O fili chariſſime, ò benigniſſime nate, miſerere Matri tuæ, & ſuſcipe preces ejus. Deſine nunc mihi eſſe durus, qui cunctis ſemper fuiſti benignus.

℞. Ioſeph ab Arimathæa, * Petiit corpus Ieſu, quod de Cruce depoſitum; * Suo complexu Mater excépit.

℣. Dolens Sunamítis, ſinu, & genibus ſuis ſuſtinuit mortuum filium. Petiit corpus. Gloria. Petiit corpus.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii ſecundùm Ioannem.

Lectio vij. *Cap. 19.*

In illo tempore: Stabant [redacted] juxtà Crucem Ieſu Mater ejus: & ſoror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalénæ. Et reliqua.

Digitized by Google

Homilía S. Bernardi Abbátis.
Ex Tractatu de Paſſione Domini cap. 10.

MUlier, inquit, ecce filius tuus: Ecce Mater tua. Verbum bonum, & ſuáve, verbum mirabile, magnum continens piæ charitátis affectum! Certè nos legimus, Dominum Ieſum, maximè cum ad ætátem provectam acceſſerat, chariſſimæ Matri ſuæ familiariùs adhæſiſſe, & cum ipſa frequentiùs convivátum eſſe, & præ cæteris mitiùs alloquutum. Sed quantus in ipſo fuerat circa Matrem charitátis affectus, jam corporaliter receſſurus brevibus intimavit verbis. Et, ut crucis ſuæ tacitam paſſiónem, quanta circa beatam Matrem compaſſione mutua credis, affectum fuiſſe cor ejus mitiſſimum, quod tam valido doloris ſui gladio tranſverberátum perfectè ſciébat?

℟. Quis tibi ſenſus fuit ò Mater dolorum: * Dum Ioſeph ſindone filium tuum involvit, & poſuit eum in monumento.

℣. Conſideráte, & vidéte, ſi eſt dolor, ſicut Dolor meus. Dum Ioſeph.

Lectio viij.

ADauxit vulnerum paſſiónem materna compaſſio, quam contritiſſimo corde, manibus complóſis, oculis lacrymarum torrente fluentibus, vultu contracto, voce quérula, & totis viribus cordis deſtitúta, viriliter cum vidit ſibi adſtare pendenti. Quotiès ipſam ad illa immitia verecundos putas oculos elevaſſe, ſi tamen eos aliquando inde deflexit, vel ſi præ nimio fluxu lacrymárum potuit intuéri? Quotiès ipſam propter verecundiam virginálem pariter & immenſitátem doloris ſtantem, ut æſtimo, capite cooperto ingemuiſſe putas lugendo filium, & dicendo: Fili mi Ieſu, Ieſu fili mi! Quis mihi det, ut tecum, & pro te moriar? Fili mi, dulcis Ieſu?

℟. In toto corde tuo gemitus Matris tuæ ne obliviſcaris; * Ut perficiatur propitiatio, & benedictio.

℣. Ave Princeps generoſa, martyrumque prima roſa, Virginumque lilium. Ut perficiatur. Gloria. Ut.

Lectio ix.

QUotiès ipſam præ immenſitáte doloris credis potuiſſe deficere, à quo ipſam ſummè miror etiam mortuam non fuiſſe. Moriebatur vivens, vivendo ferens dolorem morte crudeliórem. Sed ne moriendo deficeret, à filio pro ipſa mortalitáte confortáta eſt. Confortáta eſt intrinſecùs, exteriùs

Digitized by Google

riùs vero & verbis, & factis piè conſoláta. Quomodo ſtabat juxtà Crucem Ieſu Mater ejus? Verè juxtà Crucem ſtabat, quia Crucem filii præ cæteris Mater majore cum dolore ferebat. Stabant, & aliæ, ſed proxima hæc.

Te Deum laudamus.

MENSE NOVEMBRI.

In Secundo Nocturno.

Sermo S. Ephræm Syri.

De lament. Virg. ſuper Paſſione Domini.

Lectio iv.

STans juxtà Crucem pura, & immaculáta Virgo María, Salvatoremque in ea ſuſpenſum cernens, duriſſimas plagas perpendens, & clavos, quærimonias, alapas, flagellaque proſpiciens, magno cum planctu, lamentiſque dolore plenis exclamábat dicens: Mi fili dulciſſime, fili mi chariſſime, quomodo Crucem iſtam portas? Mi fili, mi Deus, quo pacto ſputa, clavos, & lanceam ſuffers? Quo pacto colaphos, irriſiones, injurias, ac contumelias páteris? Quo pacto corónam ſpineam, veſtemque purpuream, ſpongiam, arundinem, fel, & acétum ſuſtines?

℞. Ieſum bájulantem ſibi Crucem: * Sequebatur turba mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum.

℣. Filiæ Ieruſalem ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Sequebatur turba.

Lectio v.

QUomodo in ligno pendes mortuus, ac denudátus, mi fili, qui cœlum nubibus tegis? Quomodo ſitim tuliſti, qui univerſorum es conditor, quique mária, & aquas omnes creaſti? Quomodo innocens in medio flagitioſorum, & impiorum móreris? Quid feciſti? Cur ſcelerati ſimul, atque ingráti illi te in ligno Crucis ſuſpendérunt, quorum claudos, & languentes plurimos ſanaſti, mortuos ad vitam revocaſti, paralyticum conſolidaſti, mi fili benigniſſime? Verùm tu popule nequam, & abnegátor Chriſti, pro beneficiis maleficia, pro bonis, & commodis mala, atque contraria rependis.

℞. Poſtquam venerunt in locum, qui dicitur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum. * Stabat autem juxtà Crucem Ieſu Mater ejus.

℣. Tunc beatam illius animam doloris gladius pertranſivit. Stabat.

Lectio vi.

O Gabriel Archangele age jam, & tuére cauſam. Ubi Ave illud benedictum, quod ad me dixiſti, ò Nuncie? Ubi modò illa læ-

Digitized by Google

titia, ac benedictio, qua dixiſti mihi : Benedicta tu in mulieribus ? Quorsùm verò dolorem, & victimam, quem dilectiſſimi filii mei nomine acceptura eram, non patefeciſti, dum magnum illud mihi gaudium, quod ab initio percepi, ſignificaſti? In continuis tribulationibus, atque gemitibus fui : ſemperque immenſam Iudæorum invidiam ſuſtinui. O Simeon admirande: ecce jam gladius, quo cor meum trajiciendum prædixiſti ? En gladium, en vulnus, mi fili, & Deus meus. Mors tua cor meum ſubiit, dirupta ſunt mea viſcera, lumen meũ obſcuratum eſt, pectusque meum dirus gladius pertranſiit.

℟. Ioſeph ab Arimathæa, * Petiit corpus Ieſu, quod de Cruce depoſitum,* Suo complexu Mater excepit.

℣. Dolens Sunamitis, ſinu, & genibus ſuis ſuſtinuit mortuum filium. Petiit corpus. Gloria. Suo complexu.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Joannem.

Lectio vij. *Cap.* 19.

IN illo tempore: Stabant [redacted] juxtà Crucem Ieſu Mater ejus, & ſoror Matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalènæ. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſc.

Tract. 119. *in Joannem.*

HÆc nimirùm eſt illa hora, de qua Ieſus aquam converſurus in vinum dixerat Matri: Quid mihi, & tibi eſt mulier ? Nondùm venit hora mea. Hanc itaque horam prædixerat, quæ tunc nondùm venerat, in qua deberet agnoſcere Matrem moriturus, de qua fuerat mortaliter natus. Tunc ergo divina facturus, non divinitatis, ſed infirmitatis Matrem, velut incognitam repellebat; nunc autem humana jam patiens, ex qua fuerat factus homo, affectu commendabat humano, Moralis igitur inſinuatur locus; facit, quod faciendum admonet, & exemplo ſuo ſuos miniſtros inſtruxit Præceptor bonus, ut à filiis piis impendatur cura parentibus, tanquam lignum illud, ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit Magiſtri docentis.

℟. Quis tibi ſenſus fuit, ò Mater dolorum : * Dum Ioſeph ſindone filium tuum involvit, & poſuit eum in monumento.

℣. Conſideràte, & vidète ſi eſt dolor, ſicut dolor meus. Dum Ioſeph.

Lectio viij.

EX hac ſana doctrina dicerat Paulus Apoſtolus,

Digitized by Google

lus, quod docèbat, quando dicebat: Si quis autem ſuis, & maximè domeſticis non providet, fidem negávit, & eſt infideli deterior. Quid autem tam cuique domeſticum, quàm parentes filiis, aut parentibus filii? Hujus itaque ſaluberrimi præcepti ipſe Magiſter Sanctorum de ſeipſo conſtituebat exemplum, quãdo non ut famulæ Deus, quam creaverat, & regebat, ſed ut matri homo, de qua creatus fuerat, & quam relinquebat, alterum pro ſe quodam modo filium providèbat.

℟. In toto corde tuo gemitus Matris tuæ ne obliviſcáris: * Ut perficiatur propitiatio, & benedictio.

℣. Ave Princeps generoſa, Martyrumque prima roſa, Virginumque lilium. Ut perficiatur. Gloria. Ut.

Lectio ix.

NAm, cur hoc fecerit, quod ſequitur, indicat. Ait enim Euangeliſta. Ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua, de ſeipſo dicens: Sic quippè commemoráre ſe ſolet, quod eum diligebat Ieſus, qui utique omnes, ſed ipſum præ cæteris, & familiariùs diligebat, itaut in convivio eum ſuper pectus ſuũ diſcumbere faceret. Credo, ut iſtius Euangelii, quod per eum fuerat prædicatúrus, divinã excellentiam hoc modo altiùs commendáret. Sed in quæ ſua Ioannes Matrem Domini accepit? neque enim non ex eis erat, qui dixerunt ei: Ecce nos dimiſimus omnia, & ſequuti ſumus te: ſed ibi quoque audierat: Quicumque iſta dimiſerit propter me, accipiet in hoc ſeculo centies tantùm. Habebat ergo diſcipulus centupliciter plura, quam dimiſerat, in quæ ſuſciperet ejus matrem, qui hæc illi donaverat. Sed in ea ſocietate beatus Ioannes receperat centuplum, ubi nemo dicebat aliquid ſuum, ſed erãt illis omnia communia, ſicut in Apoſtolorum Actibus ſcriptum eſt: ſic enim Apoſtoli erant quaſi nihil habentes, & omnia poſſidentes.

Te Deum laudamus.

MENSE DECEMBRI.

In Secundo Nocturno.

Sermo Sancti Bonaventúræ Epiſcopi.

In Specul. B. M. lect. 4.

Lectio iv.

COnvenientiſsimè Virgo tam pia vocáta eſt María. Ipſa enim eſt María, quæ & omni vitio caruit, & omni virtute claruit. Ipſa, inquam, eſt María, quæ à ſeptem vitiis capitalibus fuit immuniſsima. María enim manſuetiſsima fuit per lenitatem, patientiſ-

ſima contra omnem adverſitatem. Ipſa enim eſt Maria, quam Simeon ſic alloquebatur, ſicut in Luca dicitur: Et dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicétur, & tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Hic gladius acutiſsimam filii ſui paſsionem, ſive mortem ſignificat.

℟. Ieſum bajulantem ſibi Crucem: * Sequebatur turba mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum.

℣. Filiæ Jeruſalem ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Sequebatur turba.

Lectio v.

Gladius corporàlis animam nec occidere poteſt, nec vulneràre; ſic acutiſsima Chriſti paſsio, licèt animam Mariæ per compaſſionem tranſivit, ipſam tamen nec per odium occídit, nec per impatientiam vulneravit. Maria enim interfectores filii ſui nunquam odivit, nunquam contra eos impatiens fuit. Nam ſi alii Martyres patientiſsimi fuerunt in martyrio ſuo corporàli, quantò magis martyr noſtra Maria in martyrio ſuo ſpirituali?

℟. Poſtquam venerunt in locum, qui dicitur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum; * Stabat autem juxtà Crucem Ieſu Mater ejus.

℣. Tunc beatam illius animam doloris gladius pertranſivit. Stabat autem.

Lectio vi.

O mira Mariæ patientia, & manſuetudo, quæ non ſolùm patientiſſima fuit, dum coram ipſa filius ejus crucifigeretur, ſed etiam dum ante crucifixionem propter ipſam filius ejus vilipenderétur, ſicut in Euangelio Marci dicitur: Nonnè hic eſt fabri filius, & Mariæ? Ubi poſt pauca ſequitur: Et ſcandalizabantur in eo. Revera faber eſt Chriſtus, ſed qui fabricatus eſt Auróram, & Solem. Heu quàm longè à gratia mitiſſimæ Mariæ ſunt, qui tam immites, tam impatientes, tam iracundi ſunt!

℟. Joſeph ab Arimathæa, * Petiit corpus Jeſu, quod de Cruce depoſitum, * Suo complexu Mater excepit.

℣. Dolens Sunamítis ſinu, & genibus ſuis ſuſtinuit mortuum filium. Petiit corpus. Gloria. Suo complexu.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Joannem.

Lectio vij. *Cap.* 19.

In illo tempore: Stabant [redacted] juxtà Crucem Ieſu Mater ejus, & ſoror Matris ejus Maria Cleophæ, & Maria

ria Magdalénæ. Et reliqua.
Homilia Sancti Bonaventúræ Epiſcopi.

In cap. 19. Joan. circa med.

SEcundùm Auguſtinum omnes affectiones radicantur in amore, & quia amor Mariæ ad filium fuit incomparabilis amori aliorum, ideò dolor quaſi incomparabilis; ſi enim beata Felicitas fuit pluſquã martyr propter mortẽ filiorum, ut ait Gregorius, multò magis beata Mater Dei. Ideò dicitur: Tuam ipſius animã pertranſibit gladius, ideſt tribulatio, qua anima materna vulneràta eſt doloris affectu. Dolores ergo, quos filius in corpore ſuſtinébat, quaſi vivi infundebantur in pium cor maternũ, & ideò meritò priùs filius dilectum diſcipulum commiſit ei pro filio, licèt non eſſet talis, & tantus.

℟. Quis tibi ſenſus fuit, ò Mater dolorum: * Dum Joſeph ſindone filium tuum involvit, & poſuit eum in monumento. ℣. Conſideráte, & vidéte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus. Dum Joſeph.

Lectio viij.
Ex eodem Capite.

PAtet hìc privilegialis dignitas, & honorificentia beati Joannis; ſed quæritur, cum eſſent aliæ Mariæ adſtantes, & deſolàtæ, quarè non eas commendávit diſcipulo? Videtur, quod cùm eſſet Pater miſericordiarum debuiſſet commendaſſe. Ad iſtud reſpondet Chryſoſtomus, quod decens erat plus præbére Matri. Item ad convincendos hæreticos dicentes, quod non oportet noſſe genitóres. Item ad obſtruendam inverecundiam Marciónis, ſcilicet hæretici dicentis, non eum eſſe genitũ ex Mariæ: quia ſi non eſſet genitus ſecundùm carnem, neque eam habuit matrem, cujus gratia tantam facit circa eam ſolam providentiam, & non circa alias mulieres?

℟. In toto corde tuo gemitus Matris tuæ ne obliviſcaris: * Ut perficiatur propitiatio, & benedictio. ℣. Ave Princeps generoſa, Martyrumque prima roſa, Virginumque lilium. Ut perficiatur. Gloria. Ut.

Lectio ix.

DIſcipulus, qui in cœna Dominica cervìcal ſibi in pectore Magiſtri aptaverat, ecce iterùm alio privilegio honoratur. Et poſt illud reclinatorium, in quo viderat: In principio erat Verbum; officina illa, in qua Verbum caro factum eſt, diligenter ei à filió commendáta eſt. Petro commendatur Eccleſia, illi Maria: Illi tumultuoſa nego-

Digitized by Google

tia, huic quieta: Illi atria, veſtibulum, & altare ſanguinum, huic altare incenſi, & Sancta Sanctorum. Et ſequitur: Quadrigam, qua currendum ad patriam, intueor, ut per Matrem ad filium, & per filium attingamus ad Patrem.

Te Deum laudamus.

Quando feria ſexta fit officium de Septem Doloribus, ſi Sabbato ſequenti contingat fieri officium ſemidupl. de Beata Maria, tunc in ſecundis Veſp. fer. vi. totum officium erit de Septem Doloribus abſque ulla commemoratione ſequentis. In hoc autem caſu officium Beatæ Mariæ in Sabbato inchoandum eſt à Matutino. Quæ rubrica proportionaliter ſervanda eſt, ſi celebretur aliquod feſtum Beatæ Mariæ Feria quinta, ſexta, Sabbato, vel Dominica, tunc enim officium Septem Dolorum, vel Sanctæ Mariæ in Sabbato incipiet, aut deſinet ubi deſinet, vel incipiet idem feſtum.

OFFICIUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

Quolibet Sabbato non impedito feſto

Novem Lectionum extra Adventum, Quadrageſimam, Quatuor Tempora, ac Vigilias ſub ritu ſemiduplici recitandum.

Primæ Lectiones legantur de Scriptura occurrente: Secundæ, & Tertiæ, ut inferius pro ſingulis menſibus adnotantur.

Occurrente autem feſto ſimplici cum propria Lectione, ponatur pro Nona, & ejuſdem in primis Veſperis, ſicut & in Laudibus fiat commemoratio.

AD VESPERAS.

Antiph. Dum eſſet Rex, *cum reliquis de Laudib. Pſal.* Dixit Dominus, *cum reliq. ut in Veſp. feſti Septem Dolorum.*

Capitulum. Eccl. 24.

Ab initio, & ante ſecula creata ſum, & uſque ad futurum ſeculum non deſinam; & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtravi.

℟. Deo gratias.

Hymnus.

Ave maris ſtella,
Dei Mater alma,
Atque ſemper Virgo,

Felix

Felix Cœli porta.
Sumens illud Ave
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevæ nomen.
Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala noſtra pelle,
Bona cuncta poſce.
Monſtra te eſſe Matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit eſſe tuus.
Virgo ſingularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis ſolutos,
Mites fac, & caſtos,
Vitam præſta puram,
Iter para tutum,
Ut videntes Jeſum,
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Chriſto decus,
Spiritui Sancto,
Tribus honor unus.
Amen.

℣. Dignare me laudare te Virgo ſacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.

Ad Magnificat. Antiphona. Sancta Maria, ſuccurre miſeris, juva puſillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercède pro devoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum juvámen, quicumque celebrant tuam ſanctam commemoratiónem.

Oratio.

Concède nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus, perpetua mentis, & corporis ſanitate gaudère: & glorioſa beatæ Mariæ ſemper virginis interceſſione, à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia. Per Dominum.

Poſt orationem fiunt commemorationes conſuetæ de Apoſtolis &c. Si autem occurrat ſimplex, de eo fit commemorat. ante ipſa ſuffragia.

Ad Completorium, & alias horas, in fine Hymnorum dicitur Ieſu tibi ſit gloria, Qui natus es de Virgine &c. *etiam ſi in Veſperis, tam primis, quam ſecundis fiat tantum commemorat. beatæ Mariæ Virg.; & in choro cantantur in tono ejusdem B. M., etiam ſi ſint alterius feſti, dummodo ſint ejusdem metri, & non habeant ultimum verſum proprium.*

Ad Matutinum Invitatorium. Sancta Maria Dei Genitrix Virgo,* Intercede pro nobis. Sancta Maria.

Pſal. Venite exultemus &c.

Hymnus.

Quem terra, pontus, ſydera
Colunt, adorant, prædicant,
Trinam regentem machinā,
Clauſtrum Mariæ bajulat.
Cui Luna, Sol, & omnia
Deſerviunt per tempora;

Per-

Perfúſa Cœli gratia,
Geſtant Puéllæ viſcera.
Beata Mater, múnere
Cujus ſupernus Artifex,
Mundum pugillo continens,
Ventris ſub arca clauſus eſt.
Beata Cœli núncio,
Fœcúnda Sancto Spiritu,
Deſiderátus Géntibus,
Cujus per alvum fuſus eſt.
Jeſu tibi ſit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & Almo Spiritu
In ſempiterna ſecula. Amen.

In Primo Nocturno.

Antiph. Benedicta tu.

Pſalmus 8.

DOmine Dñs noſter, * Quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra!

Quoniam elevata eſt magnificentia tua, * ſuper Cœlos.

Et ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, * ut deſtruas inimicum, & ultorem.

Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum: * Lunam, & Stellas, quæ tu fundaſti.

Quid eſt homo, quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam viſitas eum?

Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis, gloria, & honore coronaſti eum: * & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, * oves, & boves univerſas: inſuper, & pecora campi.

Volucres cœli, & piſces maris, * qui perambulant ſemitas maris.

Domine Dominus noſter, * quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra!

Antiph. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

Antiph. Sicut myrrha.

Pſalmus 18.

CŒli enarrant gloriam Dei: * & opera manuum ejus annunciat firmamentum.

Dies diei erúctat verbum, * & nox nocti indicat ſcientiam.

Non ſunt loquélæ, neque ſermones: * quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exivit ſonus eorum: * & in fines orbis terræ verba eorum.

In Sole poſuit tabernaculum ſuum: * & ipſe tanquam ſponſus procédēs de thalamo ſuo.

Exultavit ut gigas ad currendam viam: * à ſummo cœlo egreſſio ejus.

Et occurſus ejus uſque ad ſummum ejus: * nec eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus.

Lex Domini immaculáta, convertens animas: * teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis.

Juſtitiæ Domini rectæ læti-ficant-

Digitized by Google

ficantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Timor Domini ſanctus, permanens in ſeculum ſeculi: * judicia Domini vera, juſtificata in ſemetipſa.

Deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum: * & dulciora ſuper mel, & favum.

Etenim ſervus tuus cuſtodit ea: * in cuſtodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me: * & ab alienis parce ſervo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: * & emundabor à delicto maximo.

Et erunt ut complaceant eloquia oris mei: * & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.

Domine adjútor meus, * & redemptor meus.

Antiph. Sicut myrrha electa odorem dediſti ſuavitatis ſancta Dei Genitrix.

Antiph. Ante torum.

Pſalmus 23.

Domini eſt terra, & plenitudo ejus: *Orbis terrarum, & univerſi, qui habitant in eo.

Quia ipſe ſuper mària fundavit eum: * & ſuper flumina præparavit eum.

Quis aſcendet in montem Domini? * aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?

Innocens manibus, & mundo corde, * qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo.

Hic accipiet benedictionem à Domino: * & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.

Hæc eſt generatio quærentium eum: * quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, * & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? * Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, * & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? * Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.

Antiph. Ante torum hujus Virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua.

℟. Intende, proſperè procede, & regna.

In Primo Nocturno.

Semper dicuntur Lectiones de Scriptura occurrente, reſponſoria verò quæ ſequuntur.

℟. *i.* Sancta, & immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam neſcio. * Quia quem

quem Cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Quia quem.

℟. *ij.* Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum: Quia, cum eſſem parvula, placui Altiſſimo: * Et de meis viſceribus genui Deum, & hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem reſpexit Deus. Et de meis.

℟. *iij.* Beata es Virgo Maria, quæ Dominum portaſti Creatorem mundi: * Genuiſti qui fecit, & in æternum permanes Virgo.

℣. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum.

Genuiſti qui. Gloria Patri. Genuiſti qui.

In Secundo Nocturno.

Antiph. Specie tua.

Pſalmus 44.

ERuctavit cor meum verbum bonum: * dico ego opera mea Regi.

Lingua mea calamus ſcribæ: * velociter ſcribentis.

Speciosus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis: * propterea benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo ſuper fœmur tuum, * potentiſſime.

Specie tua, & pulchritudine tua: * intende, proſpere procede, & regna.

Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam: * & dedúcet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acútæ, populi ſub te cadent, * in corda inimicorum Regis.

Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi: * virga directionis virga regni tui.

Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: * propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.

Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis à domibus eburneis: * ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.

Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato: * circumdata varietate.

Audí filia, & vide, & inclina aurem tuam: * & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui.

Et concupiſcet Rex decorem tuum: * quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.

Et filiæ Tyri in muneribus: * vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus: * in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Adducentur Regi virgines poſt eam: * proximæ ejus afferentur tibi.

Affe-

Digitized by Google

Afferentur in lætitia, & exultatione: * adducentur in templum Regis.

Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii:*conſtitues eos principes ſuper omnem terram.

Memores erũt nominis tui:* in omni generatione, & generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum:* & in ſeculum ſeculi.

Antiph. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſperè procede, & regna.

Antiph. Adjuvabit eam.

Pſalmus 45.

DEus noſter, refugium, & virtus, * adjútor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dùm turbabitur terra: * & transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, & turbatæ ſunt aquæ eorum: * conturbati ſunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus lætíficat civitatem Dei: * ſanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus.

Deus in medio ejus non commovebitur: * adjuvabit eam Deus manè dilúculò.

Conturbatæ ſunt gentes, & inclinata ſunt regna: * dedit vocem ſuam mota eſt terra.

Dominus virtutum nobiſcum: * ſuſceptor noſter Deus Jacob.

Venite,& vidéte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram: * auferens bella uſque ad finem terræ.

Arcum conteret, & confringet arma: * & ſcuta combúret igni.

Vacate, & videte quoniam ego ſum Deus: * exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiſcum: * ſuſceptor noſter Deus Jacob.

Antiph. Adjuvábit eam Deus vultu ſuo: Deus in medio ejus non commovebitur.

Antiph. Sicut lætantium.

Pſalmus 86.

FUndamenta ejus in montibus ſanctis: * diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob.

Glorióſa dicta ſunt de te * civitas Dei.

Memor ero Rahab,& Babylonis * ſcientium me.

Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, * hi fuerunt illic.

Nunquid Sion dicet: Homo, & homo natus eſt in ea:* & ipſe fundavit eam Altiſſimus.

Dominus narrabit in ſcripturis populorum, & principum: * horum, qui fuerunt in ea.

Sicut

Digitized by Google

Sicut lætantium omnium * habitatio eſt in te.

Antiph. Sicut lætantium omnium noſtrum habitatio eſt in te, ſancta Dei Genitrix.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu ſuo.

℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

Lectiones Secundi Nocturni cum ſuis Reſponſoriis, ut infrà.

In Tertio Nocturno.

Antiph. Gaude María Virgo.

Pſalmus 95.

CAntáte Domino canticum novum: * cantáte Domino omnis terra.

Cantáte Domino, & benedicite nomini ejus: * annunciate de die in diem ſalutare ejus.

Annunciate inter Gentes gloriam ejus: * in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: * terribilis eſt ſuper omnes Deos.

Quoniam omnes Dii Gentium Dæmónia: * Dominus autem Cœlos fecit.

Confeſſio, & pulchritudo in conſpectu ejus: * ſanctimonia, & magnificentia in ſanctificatione ejus.

Afferte Domino patriæ Gentium, afferte Domino gloriam, & honorem: * afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hoſtias, & introíte in atria ejus: * adorate Dominum in atrio ſancto ejus.

Commoveatur à facie ejus univerſa terra: * dicite in Gentibus, quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur: * judicabit populos in æquitate.

Lætentur Cœli, & exultet terra, commoveatur mare, & plenitudo ejus: * gaudebunt cāpi, & omnia, quæ in eis ſunt.

Tunc exultabunt omnia ligna ſilvarum à facie Domini, quia venit: * quoniam venit judicáre terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate: * & populos in veritate ſua.

Antiph. Gaude María Virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo.

Antiph. Dignáre.

Pſalmus 96.

DOminus regnavit, exultet terra: * lætentur inſulæ multæ.

Nubes, & calígo in circuitu ejus: * juſtitia, & judicium correctio ſedis ejus.

Ignis ante ipſum præcédet: * & inflammábit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ: * vidit, & commota eſt terra.

Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini: * à facie Domini omnis terra.

Annun-

Annunciaverunt Cœli juſtitiam ejus : * & viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia : * & qui gloriantur in ſimulacris ſuis.

Adorate eum omnes Angeli ejus : * audivit, & lætata eſt Sion.

Et exultaverunt filiæ Judæ:* propter judicia tua Domine.

Quoniam tu Dominus Altiſſimus ſuper omnem terram : * nimis exaltatus es ſuper omnes Deos.

Qui diligitis Dominum odíte malum : * cuſtódit Dominus animas ſanctorum ſuorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta eſt juſto : * & rectis corde lætitia.

Lætamini juſti in Domino * & confitemini memoriæ ſanctificationis ejus.

Antiph. Dignare,me laudare te, virgo ſacrata, da mihi virtutem contra hoſtes tuos.

Antiph. Poſt partum.

Pſalmus 97.

CAntáte Domino canticum novum: * quia mirabilia fecit.

Salvavit ſibi dextera ejus : * & brachium ſanctum ejus.

Notum fecit Dominus ſalutare ſuum:* in conſpectu gentium revelàvit juſtitiam ſuam.

Recordàtus eſt miſericordiæ ſuæ : * & veritatis ſuæ domui Iſrael.

Viderunt omnes termini terræ : * ſalutare Dei noſtri.

Jubilàte Deo omnis terra : * cantate, & exultate, & pſallite.

Pſallite Domino in cithara, in cithara, & voce pſalmi : * in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.

Jubilate in conſpectu Regis Domini: * moveatur mare, & plenitudo ejus: orbis terrarum, & qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, ſimul mõtes exultabunt à conſpectu Domini : * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in juſtitia; * & populos in æquitate.

Antiph. Poſt partum Virgo inviolata permanſiſti, Dei genitrix intercéde pro nobis.

℣. Elégit eam Deus.& præelégit eam.

℟. In tabernaculo ſuo habitàre facit eam.

Lectiones Tertii Nocturni cum ſuis Reſponſoriis, ut infrà.

Ad Laudes, & per Horas.

Antiph. Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuavitatis.

Pſal. Dominus regnavit. *cum reliquis de Domin.*

Antiph. Læva ejus ſub capite meo, & dextera illíus amplexabitur me.

Antiph. Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Jeruſalem: ideo dilexit

lexit me Rex, & introduxit me in cubiculum ſuum.

Antiph. Jam hiems tranſiit, imber abiit, & receſſit, ſurge amica mea, & veni.

Antiph. Specioſa facta es, & ſuavis in deliciis tuis ſancta Dei genitrix.

Capitulum. Eccl. 24.

AB initio, & ante ſecula creata ſum, & uſque ad futurum ſeculum non deſinam, & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtravi.

Hymnus.

O Glorioſa Virginum,
Sublimis inter ſidera,
Qui te creavit, parvulum
Lactente nutris ubere.
Quod Heva triſtis abſtulit,
Tu reddis almo germine,
Intrent ut aſtra flebiles,
Cœli reclúdis cardines.
Tu Regis alti janua,
Et aula lucis fulgida;
Vitam datam per Virginem
Gentes redemptæ plaudite.
Jeſu tibi ſit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & almo Spiritu,
In ſempiterna ſecula. Amen.

℣. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Benedictus. Antiphona.

Beata es Maria, quæ crediſti, perficientur in te, quæ dicta ſunt tibi à Domino. Alleluja.

Oratio.

COncède nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus, perpetua mentis, & corporis ſanitate gaudère: & glorioſa Beatæ Mariæ ſemper Virgìnis interceſſione, à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia. Per Dominum noſtrum.

Ad Primam in ℟. *brc. dicitur:* Qui natus es de Maria Virgine, &c.

Ad Tertiam. Antiph. Dum eſſet Rex. *Capit.* Ab initio.

℟. *brc.* Specie tua, * Et pulchritudine tua. Specie tua.

℣. Intende, proſperè procéde, & regna. Et pulchrit. Gloria. Specie.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu ſuo.

℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

Ad Sextam Ant. Nigra ſum.

Capitulum. Eccl. 24.

ET ſic in Sion firmata ſum, & in Civitate ſanctificata ſimiliter requiévi, & in Jeruſalem poteſtas mea; & radicavi in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea.

℟. *brev*, Adjuvabit eam, * Deus vultu ſuo. Adjuvabit.

℣. Deus in medio ejus non commovebitur. Deus. Gloria. Adjuvabit.

℣. Ele-

Digitized by Google

℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam.

℟. In tabernaculo ſuo habitare facit eam.

Ad Nonam Ant. Specioſa facta es.

Capit. *Eccl.24.*

IN plateis ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizans odorem dedi, quaſi myrrha electa dedi ſuavitatem odoris.

℟. *brev.* Elegit eam Deus, * Et præelegit eam. Elegit.

℣. In tabernaculo ſuo habitare facit eam. Et. Gloria. Elegit.

℣. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

In Secundis Veſp. Antiph. Dum eſſet rex. &c. *ut in primis. Si ſequenti die fiat de feſto Dupl. Veſp. dicuntur de eo, cum commem. Domin., & B. Mariæ. Si verò fiat de Domin. Capit. erit de ea, cum commemor. B. Mariæ.*

Antiph. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilē reſpexit Deus.

℣. Dignare me laudare te Virgo ſacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.

Oratio Concede, &c. *ut ſupr.*

Poſt Nativitatem, uſque ad Purificationem.

Ad Veſp. Antiph. O admirabile, &c. *ut infra ad Laudes.*

Pſalm. Dixit Dominus, *ut ſupra.* ℣. Dignare, &c.

Ad Magnificat. Antiphona.

Magnum hæreditatis myſterium! templum Dei factus eſt uterus neſcientis virum: non eſt pollutus ex ea carnem aſſumens: omnes gentes venient dicentes: Gloria tibi Domine.

Oratio.

DEus, qui ſalutis æternæ, Beatæ Mariæ virginitate fœcunda, humano generi præmia præſtitiſti: tribue quæſumus, ut ipſam pro nobis intercedere ſentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ ſuſcipere, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum. Qui tecum vivit.

Ad Laudes, & per Horas.

Ant. O admirabile commercium! Creator generis humani animatum corpus ſumens de Virgine naſci dignatus eſt: & procedens homo ſine ſemine largitus eſt nobis ſuam Deitatem.

Pſalm. Dominus regnavit. *cum reliq. de Domin.*

Antiph. Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ ſunt ſcripturæ: ſicut pluvia in vellus deſcendiſti, ut ſalvum faceres genus humanum: te laudamus Deus noſter.

Antiph. Rubum, quem viderat Moyſes incombuſtum, cōſer-

Digitized by Google

ſervatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem: Dei Genitrix intercede pro nobis.

Ant. Germinavit radix Ieſſe, orta eſt ſtella ex Iacob: Virgo peperit Salvatorem: te laudamus Deus noſter.

Antiph. Ecce Marla genuit nobis Salvatorem, quē Ioannes videns exclamavit, dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Alleluja.

Capit. Ab initio, &c. *Hymn.* O glorioſa,&c. ℣. Diffuſa,&c. *ut ſupra.*

Ad Benedictus Antiph.

Mirabile myſterium declaratur hodie: innovantur naturæ, Deus homo factus eſt: id, quod fuit permanſit, & quod non erat, aſſumpſit, non commixtionem paſſus, neque diviſionem.

Oratio Deus, qui ſalutis, *ut ſupra.*

In ſecundis Veſp. O admirabile, *ut ſupra. Pro comm. B.M. Antiph.* Magnum, &c. *ut ſup. in prim. Veſp.* ℣., *& Oratio pariter ut ſup.*

Tempore Paſchali.

Omnia dicuntur, ut ſupra, more tamen Temporis Paſchalis. Antiph. ad Magnif. in primis Veſperis, ad Benedictus, & pro ſecundis Veſperis, ut ſequitur.

Regina Cœli lætare, alleluja. Quia quem meruiſti portare, alleluja. Reſurrexit ſicut dixit, alleluja. Ora pro nobis Deum, alleluja.

Oratio, ut ſupra.

Lectiones ſequentes dicuntur ſingulis menſibus.

MENSE JANUARIO.

In Secundo Nocturno.

Ex libro Sancti Anſelmi Epiſcopi.

De excellentia Virginis.

cap. 9. poſt init.

Lectio iv.

Dei ſummi ſapientia ſumma, nullam in maſſa creationis humanæ viam invénit, per quam (ut diſpoſuerat) in mundum veniens tam luctuoſæ perditioni ſubveniret; donec ad iſtam, de qua loquimur, Virginem ventum eſſet. Sed hæc mox, ut in mundum per humanæ generationis lineam venit, tanta omnis boni virtute, & conſtantia perfectè reſplenduit, ut eam ipſa ſapientia Dei verè dignā judicaret, per quam in homine veniens, non modò reátum primorum hominum, ſed & totius mundi peccata delèret, & diabolum ſui operis inimicum cum ſuis elíderet; necnon damna cœleſtis patriæ illuc hominem deducendo redintegraret.

℟. Sicut cedrus exaltata ſum in Libano, & ſicut cypreſſus in monte Sion: quaſi myr-

Digitized by Google

myrrha electa * Dedi ſuavitatem odoris.

℣. Et ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizans. Dedi ſuavitatem.

Ex libro ejusdem de conceptu Virginis cap. 18.

Lectio v.

SEd quia decebat, ut Chriſti conceptio de Matre puriſſima fieret. Nempè decens erat, ut ea puritate, quà major ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa nitèret, cui Deus Pater unicum filium ſuum, quem de corde ſuo æqualem ſibi genitum, tanquam ſeipſum diligebat, ita dare diſponebat, ut naturaliter eſſet unus, idemque communis Dei Patris, & Virginis filius, & quam ipſe filius ſubſtantialiter facere ſibi Matrē eligebat, & de qua Spiritus Sanctus volebat, & operaturus erat, ut conciperetur, & naſceretur ille, de quo procedebat.

℟. Quæ eſt iſta, quæ proceſſit ſicut Sol, & formóſa tanquam Jeruſalem? * Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixérunt, & reginæ laudavèrunt eam.

℣. Et ſicut dies verni circumdabant eam flores roſarum, & lilia convallium, Viderunt eam filiæ.

Ex libro Sancti Irenæi Epiſcopi, & Martyris adversùs hæreſes.

Libro 5. cap. 21.

Lectio vi.

ELidens ergo eum, qui initio in Adam captivos duxerat nos, & calcans ejus caput, quemadmodum habes in Geneſi dixiſſe ſerpenti Deum: Et inimicitiam ponam inter te, & mulierem, & inter ſemen tuum, & ſemen ejus: ipſa tuum obſervabit caput, & tu obſervabis ejus calcaneum. Ex eo enim, qui ex muliere virgine habebat naſci, ſecundùm ſimilitudinem Adam præconabatur obſervans caput ſerpentis, ideſt ſemen, de quo ait Apoſtolus in epiſtola ad Galatas: Legem factorum poſitam, donec veniret ſemen, cui promiſſum eſt. Manifeſtiùs autem adhuc in eàdem oſtendit epiſtola, dicens: Cùm autem venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere. Neque enim juſtè victus fuiſſet inimicus, niſi ex muliere homo eſſet, qui vicit eum.

℟. Ornatam monilibus filiam Jeruſalem Dominus concupivit, * Et videntes eam filiæ Sion beatiſſimam prædicavèrunt dicentes: * Unguentum effuſum nomen tuum.

℣. Adſtitit Regina à dextris

Digitized by Google

tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate. Et videntes. Gloria. Unguentum.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 2.

IN illo tempore: Paſtóres loquebantur ad invicem: Tranſeamus uſque Bethleem, & videamus hoc Verbum, quod factum eſt, quod Dominus, & oſtendit nobis; & venèrunt feſtinantes. Et reliqua.

Homilia S. Ambroſii Epiſcopi.

Libro 2. in cap. 2. Lucæ.

VIdes feſtináre Paſtóres; nemo enim cum deſidia Chriſtum requirit. Vides paſtóres Angelo credidiſſe: & tu Patri, Filio, Spiritui Sancto, Angelis, Prophetis, & Apoſtolis credere nõ vis? Vide, quàm ſignanter Scriptura ſingulorũ libret momẽta verborum. Feſtínant, inquit, Verbum vidère. Etenim cum caro Domini vidètur, Verbum vidètur, quod eſt Filius.

℟. Felix namque es ſacra Virgo María, & omni laude digniſſimá, * Quia ex te ortus eſt Sol juſtitię Chriſtus Deus noſter.

℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum juvámen, quicumque celebrant tuam ſanctam commemorationem. Quia ex te.

Pro 8. benedic. Ipſa Virgo Virginum intercedat pro nobis ad Dominum.

Lectio viij.

NOn mediocre fidei tibi hoc videatur exemplũ, non vilis perſona paſtórum. Certè, quo vilior ad prudentiam, eò pretioſior ad fidem. Non gymnaſia choris referta ſapientum, ſed plebem Dominus ſimplicem requiſivit, quæ faleráre audita, & fucáre neſcíret. Simplicitas enim quæritur, non ambitio deſideratur.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.

℣. Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit. Gloria. Quia fecit.

Lectio ix.

NEc contemnenda putes, quaſi vilia, verba paſtórum: à paſtoribus etiam María fidem colligit: à paſtoribus populus ad Dei reverentiam congregatur. Mirati enim ſunt de iis, quæ dicebantur à paſtoribus ad ipſos. María autem cõſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo. Diſcamus Sanctæ Virginis in omnibus caſtitatem,

Digitized by Google

tem, quæ non minus ore pudíca, quam corpore, argumenta fidei conferebat in corde. Te Deum laudamus.

MENSE FEBRUARIO.

In Secundo Nocturno.

Ex libro S. Ambroſii Epiſcopi de Virginibus.

Lib. 2. ſub init.

Lectio iv.

SIt vobis tanquam in imagine deſcripta virginitas, vitaque Beatæ Mariæ: de qua, velut in ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis. Hinc ſumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magiſteria expreſſa probitatis, quid corrigere, quíd effugere, quid tenére debeatis, oſtendunt. Primus diſcendi ardor, nobilitas eſt magiſtri. Quid nobilius Dei Matre? Quid ſplédidius ea, quam ſplendor elégit? Quid caſtius ea, quæ corpus ſine corporis contagione generavit?

℟. Sicut cedrus exaltata ſum in Libano, & ſicut cypreſſus in monte Sion; quaſi myrrha electa * Dedi ſuavitatem odoris.

℣. Et ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizans. Dedi.

Lectio v.

NAm de cæteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat non ſolùm corpore, ſed etiam mente, quæ nullo doli ambitu ſincerum adulteraret affectum: corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi ſtudioſior, non in incerto divitiarum, ſed in prece pauperis ſpem repónens: intenta operi, verecunda ſermone, arbitrum mentis ſolita non hominem, ſed Deum quærere, nullum lædere, benè velle omnibus, aſſurgere majoribus natu, æqualibus nõ invidére, fugere jactantiam, rationem ſequi, amare virtutem.

℟. Quæ eſt iſta, quæ proceſſit ſicut Sol, & formoſa tanquam Jeruſalem? * Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & reginæ laudaverunt eam.

℣. Et ſicut dies verni circumdabant eam flores roſarum, & lilia convallium. Viderunt eam.

Lectio vj.

QUando iſta vel vultu læſit parentes? quando diſſenſit à propinquis? quando faſtidivit humilem? quando deriſit debilem? quando vitavit inopem? Eos ſolos ſolita cœtus virorum inviſere, quos miſericordia non erubeſceret, neque præteríret verecundia. Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu

inverecundum. Non geſtus fractior, nõ inceſſus ſolutior, non vox petulantior: ut ipſa corporis ſpecies ſimulacrum fuerit mẽtis, figura probitatis.

℟. Ornatam monilibus filiam Jeruſalem Dominus cõcupivit: * Et videntes eam filiæ Sion beatiſſimam prædicavérunt dicentes; * Unguentum effuſum nomen tuum.

℣. Adſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Et videntes. Gloria. Unguentum.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 11.

IN illo tempore: Loquente Jeſu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilía Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Lib. 4. *cap.* 49. *in Lucæ* 11.

UNde Apoſtolus in exordio epiſtolę ſuę ad Romanos ſcribit: Filium Dei factum eſſe ex ſemine David ſecundùm carnem. Paulus (inquit) ſervus Jeſu Chriſti, vocatus Apoſtolus ſegregatus in Evangelium Dei, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundùm carnem. Etſi enim in quibusdam latínis exemplaribus nõ legitur: Factus; ſed Natus ex ſemine David: cum Græca, factus, habeant (unde, non ad verbum, ſed ad ſententiam transferre voluit, dicendo, Natus, Latinus Interpres:) tamen Chriſtum ex ſemine David eſſe ſecundùm carnem, omnium librorum, atque linguarum concordat auctoritas.

℟. Felix namque es ſacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima, * Quia ex te ortus eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter.

℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam ſanctam commemorationem. Quia ex te.

Lectio viij.

ET nos igitur his contra Eutychen dictis extollamus vocem cum Eccleſia Catholica, cujus hæc mulier typum geſſit; extollamus & mentem de medio turbarum, dicamusque Salvatori: Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti. Verè enim beata parens, quæ (ſicut quidam ait) enixa eſt puerpera regem, qui cœlum, terramque tenet per ſecula, cujus Numen,

Digitized by Google

men, & æterno complectens omnia giro, imperium ſine fine manet: quæ ventre beato gaudia Matris habens cum virginitatis honore, nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.

℣. Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit. Gloria. Quia fecit.

Lectio ix.

AT ille dixit: Quinimmò beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Pulchrè Salvator atteſtationi mulieris annuit, non eam tantummodò, quæ Verbum Dei corporaliter generare meruerat, ſed & omnes, qui idem Verbum ſpiritualiter auditu fidei concipere, & boni operis cuſtodia, vel in ſuo, vel in proximorum corde parere, & quaſi alere ſtuduérint, aſſeverans eſſe beatos. Quia & eadem Dei Genitrix, & indè quidem beata, quia Verbi incarnandi miniſtra eſt facta temporalis, ſed indè multò beatior, quia ejuſdem ſemper amandi cuſtos manebat æterna. Qua ſententia ſapientes Judæorum clam percutit, qui Verbum Dei non audire, & cuſtodire, ſed negare, & blaſphemare quærebant.

Te Deum laudamus.

MENSE MARTIO.

In Secundo Nocturno.

Ex Epiſtola S. Ambroſii Epiſcopi ad Siricium Papam.

Epiſt. 81. al. 7.

Lectio iv.

HÆc eſt Virgo, quæ in utero concepit, Virgoque peperit filium. Sic enim ſcriptum eſt: Ecce Virgo in utero accipiet, & pariet filium; non enim conceptuꝛam tantummodò Virginem, ſed & parituram Virginem dixit. Quæ autem eſt illa porta Sanctuarii, porta illa exterior ad Orientem, quæ manet clauſa; & nemo, inquit, pertranſibit per eam, niſi ſolus Deus Iſrael? Nonne hæc porta María eſt, per quam in hunc mundum Redemptor intravit?

℟. Sicut cedrus exaltata ſum in Libano, & ſicut cypreſſus in monte Sion: quaſi myrrha electa, * Dedi ſuavitatem odoris.

℣. Et ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizans. Dedi.

Lectio v.

HÆc porta juſtitiæ, ſicut ipſe dixit: ſine nos implere omnem juſtitiam. Hæc porta eſt beata María, de qua ſcriptum eſt, quia Dominus per-

Digitized by Google

pertranſibit per eam, & erit clauſa poſt partum; quia Virgo concepit, & genuit. Quid autem incredibile, ſi contra uſum originis naturalis peperit Maria, & Virgo permanet; quando contra uſum naturæ mare vidit, & fugit, atque in fontem ſuum Jordanis fluenta remearunt? Non ergo excedit fidem, quod Virgo peperit, quando legimus, quod petra vomuit aquas, & in muri ſpeciem maris unda ſolidata eſt.

℞. Quæ eſt iſta, quæ proceſſit ſicut Sol, & formoſa tanquam Ieruſalem? * Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & reginæ laudavérunt eam.

℣. Et ſicut dies verni circumdabant eam flores, & lilia convallium. Viderunt eam.

Lectio vi.

NOn ergo excedit fidem, quod homo exívit de Virgine, quando petra fontem profluum ſcaturivit, ferrum ſupe aquas natavit, ambulavit homo ſuper aquas. Ergo ſi hominem unda portavit, non potuit hominem Virgo generare? atque hominem, de quo legimus: Et mittet illis Dominus hominem, qui ſalvos faciet eos, & notus erit Dominus Ægyptiis? In veteri itaq; teſtamento virgo Hebræorum per mare duxit exercitum: in novo teſtamento Virgo Regis aula cœleſtis electa eſt ad ſalutem.

℞. Ornatam monilibus filiam Jeruſalem Dominus concupivit. * Et videntes eam filiæ Sion beatiſſimam prædicavérunt, dicentes: * Unguentum effuſum nomen tuum.

℣. Adſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate. Et videntes. Gloria. Unguentum.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. *Cap. 11.*

IN illo tempore: loquente Jeſu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi; Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilía S. Bonaventúræ Epiſcopi.

In cap. 11. Lucæ poſt med.

POſt expreſſionem fraudis Judaicæ, & reprobationem fraudis expreſſæ, ſubdit hic Evangeliſta commendationem veritatis apertæ. Et hoc quidem conveniens erat, ut manifeſtata veritate, veritas ipſa ſeipſam manifeſtans, laudaretur manifeſtè coram tota multitudine. In deſcriptione autem hujus commendationis laudativæ tria introducuntur. Primum eſt conditio perſonæ laudantis. Secundum eſt expreſſio laudis Divinæ.

Digitized by Google

vinæ. Tertium eſt approbatio laudis expreſſæ.

℞. Felix namque es ſacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima, * Quia ex te ortus eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter.

℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam ſanctam commemorationem. Quia ex te.

Lectio viij.

DUplex autē notatur conditio in perſona laudante, ſcilicet, virilitas, & modicitas. Virilitas notatur in hoc, quod vocem extollebat, ſecundùm illud Iſaïæ: Exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jeruſalem: exalta, noli timere. Modicitas in hoc, quod quædam mulier, non nominata, nec nobilis, ſed de turba: ut impleretur illud Pſalmiſtæ: Pauper, & inops laudabunt nomen tuum. Ex quo apparet, quod laudator divini nominis non debet eſſe timidus, ut laudare non audeat: nec tumidus, ut laudare erubeſcat, ſed virilis, & humilis.

℞. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.

℣. Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit. Gloria. Quia fecit.

Lectio ix.

UNde, cum quidam ex timore tacérent: quidam blaſphemarent ex ſuperbia, & tumore: hæc mulier humilis, & virilis, nec tacuit cum timidis, nec vituperavit cum blaſphémis. Magna ejus fiducia, quæ inter blaſphémos confitetur Dei filium. Ideo poterant ei dicere illud, quod dictum eſt à Domino mulieri Chananææ: O mulier, magna eſt fides tua! quæ ſcilicet tantum te fortificavit, cum in proverbiis dicatur: Mulierem fortem quis inveniet? In te verificatum eſt illud Eccleſiaſtici: Fundamenta æterna ſuper petram ſolidam: ſic mandata Dei in corde mulieris ſanctæ.

Te Deum laudamus.

MENSE APRILI.

In Secundo Nocturno.

Sermo Sancti Auguſtini Epiſcopi.

Serm. 16., & 17. de Temp.

Lectio iv.

VEritas de terra orta eſt. Jam enim, & quod in eodem pſalmo ſequitur, factum eſt. Nam ille, qui de terra ortus eſt, hoc eſt, de carne natus eſt, qui de Cœlo venit, & ſu-

Digitized by Google

& ſuper omnes eſt: proculdubio cum aſcendit ad Patrem, etiam juſtitia de Cœlo proſpexit. Hanc enim juſtitiam verbis ſuis ipſe commendat promittendo Spiritum Sanctum: Ipſe, inquit, arguet mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio. De peccato quidem: quia non crediderunt in me. De juſtitia, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me. Hæc eſt juſtitia, quæ de Cœlo proſpexit. A ſummo enim Cœlo egreſſio ejus, & occurſus ejus uſque ad ſummum Cœli.

℞. Sicut cedrus exaltata ſum in Libano, & ſicut cypreſſus in monte Sion: quaſi myrrha electa, * Dedi ſuavitatem odoris.

℣. Et ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizans. Dedi.

Lectio v.

NE verò quiſquam cõtemneret veritatẽ, quia de terra orta eſt, cum ſicut ſponſus proceſſit de thalamo ſuo, ideſt de utero virginali: & propter ſimilitudinẽ carnis peccati, nihil amplius Chriſtum, quam hominem crederet; cum dictum eſſet: Tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultavit, ut gigas, ad currendam viam: continuò ſubjunctum eſt. A ſummo Cœlo egreſſio ejus. Grande nobis Myſterium Divina Majeſtas in Adæ figura præmiſit. Sicut enim Deus noſter, cum primum Adam facere vellet, non ex conjunctione viri, & mulieris hominem, ut eſſet, effecit: ſed accipiens terram, unde hominem facit, divina quadam arte formavit: ita ſine viri conjunctione Deum in virginali alvo incorporari diſpenſavit.

℞. Quæ eſt iſta, quæ proceſſit ſicut Sol, & formoſa tanquam Jeruſalem? * Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & reginæ laudaverunt eam.

℣. Et ſicut dies verni circumdabant eam flores roſarum, & lilia convallium. Viderunt eam.

Lectio vi.

ERgo, ſi tunc licuit hominem ſine homine naſci, cur non licuit hominem ſine homine per Mariam Virginem procreari? Quoniam ſicut Adam ex terra Virgine figuratus eſt, ita & Chriſtus ex Virgine natus agnoſcitur. Ibi tunc flatus Dei de terra vivum hominem ſurgere fecit ad vitam: hic mundum Spiritus Sanctus de Maria Virgine Chriſtum hominem figuravit, in quo Deus ad reparationem hominis habitaret. Adã enim ibi tunc naſcitur: hic renovatur, & reſuſcitatur in Chriſto. Fuit ergo ſimilis reparatio,

Digitized by Google

tio , quomodo fuit, & hominis creatio . Denique ſicut tunc in alvo terræ Salvator Adæ membra compoſuit : ſic etiam nunc in Virginis alvo Chriſtus ſua membra compoſuit .

℟. Ornatam monilibus filiam Jeruſalem Dominus concupivit . * Et videntes eam filiæ Sion beatiſſimam prædicaverunt dicentes:* Unguentum effuſum nomen tuum .

℣. Adſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato , circumdata varietate . Et videntes . Gloria . Unguentum .

In Tertio Nocturno .

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Ioannem.

Lectio vij. *Cap. 19.*

IN illo tempore : Stabant autem juxtà Crucem Ieſu Mater ejus , & ſoror Matris ejus Marìa Cleophæ , & Marìa Magdalenæ. Et reliqua.

Homilía Sancti Joannis Chryſoſtomi .

Homilìa 84. in cap. 19. Joannis.

IPſe Crucifixus Matrem ſuam Diſcipulo commendat, erudiens nos ad ultimum uſque ſpiritum parentum curam habendam . Cum intempeſtivè ab ea appellatus eſt , inquit: Quid mihi,& tibi mulier ? Et alibi : Quæ eſt Mater mea ? Hìc immenſam charitatem oſtendit , & commendat eam Diſcipulo , quem diligebat. Iterum nomen ſuum modeſtè ſubticet Joannes : nam , ſi ſe jactare voluiſſet , quam ob rem diligeretur, expoſuiſſet ; credibile enim eſt magnam eſſe , & admirandam . Qua autem gratia nihil aliud dicit Joanni, neque eum conſolatur?Quòd intempeſtivum erat.Præterea non parvo eum honore his verbis afficiebat , neque parvum præſentiæ ſuæ præmium capiebat.

℟. Felix namque es ſacra Virgo Marìa , & omni laude digniſſima,* Quia ex te ortus eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter .

℣. Ora pro populo, interveni pro clero , intercede pro devoto fœmineo ſexu : ſentiant omnes tuum juvamen , quicumque celebrant tuam ſanctam commemorationem . Quia ex te ortus eſt .

Lectio viij.

STabant autem juxtà Crucem Jeſu Mater ejus , & ſoror Matris ejus Marìa Cleophæ , & Marìa Magdalénæ . Stabant autem mulieres juxtà crucem . Et imbecillior ſexus tunc fortior apparuit: ita omnia reformavit . Ipſe Matrem commendans, inquit: Ecce Filius tuus . O honorem, quem Diſcipulo tribuit ! Cum enim jam abìret, Matris curam Diſcipulo reliquit: nam cum par eſſet, utpotè Matrem dolére ,

& pro-

Digitized by Google

& protectionem quærere, meritò dilecto commendat, cui etiam inquit: Ecce Mater tua. Hoc dixit, ut dilectione devincerentur, quo cognito Diſcipulus eam ſecum adduxit.

℞. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.

℣. Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit. Gloria. Quia.

Lectio ix.

SEd cur non alius cujuſpiam mulieris meminit, cum adeſſent? Admonēs quiddam amplius matribus tribuendum. Ut enim cum ſpiritalia impediunt, parentes ne cognoſcendi quidem ſunt; ita cum nihil impediunt, meritò omnia his ſunt tribuenda, & omnibus præferendi: quia genuerunt, quòd educarunt, quòd innumeras pro ipſis moleſtias ſubierunt. Ita Marcionis reprimitur impudentia. Nam, ſi non eſſet ſecundum carnem natus, neque matrem habuiſſet, quam tantopere curaret.

Te Deum laudamus.

MENSE MAJO.

In Secundo Nocturno.

Ex Libro S. Auguſtini Epiſcopi de Natura, & gratia contra Pelagianos.

Lectio iv.

CUm de peccatis agitur: de ſancta Virgine Maria, propter honorem Domini, nullam prorsùs habere volo quæſtionem. Inde enim ſcimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quod concipere, & parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum. Hac ergo Virgine excepta, ſi omnes illos ſanctos, & ſanctas, qui in ſcripturis ſanctis, non modo non peccaſſe, verum etiam juſtè vixiſſe referũtur, cùm hic viverent cōgregare poſſemus, & interrogare, utrùm eſsēt ſine peccato: quid fuiſſe reſponſuros putamus? Quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia ſanctitatis, ſi hoc interrogari potuiſſent, una voce clamaſſent illud, quod ait Joannes Apoſtolus. Si dixerimus, quod peccatum non habemus: nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.

℞. Sicut cedrus exaltata ſum in Libano, & ſicut cypreſſus in monte Sion: quaſi myrrha electa, * Dedi ſuavitatem odoris.

℣. Et

Digitized by Google

℣. Et ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizans. Dedi.

Serm. ult. de Symbolo ad Catechumenos cap.4.

Lectio v.

QUis enim non expaveſcat, cum audit Deum natum? Audis naſcentem, vide in ipſo ortu miracula facientem. Alvus tumeſcit Virginis, clauſtrum pudóris permanet, impletur uterus Matris ſine ullo complexu Patris, ſentit prolem, quæ ſe ignorat conjugem. Angelus ad Virginem loquitur, à Virgine cor præparatur, Chriſtus fide concipitur.

℟. Quæ eſt iſta, quæ proceſſit ſicut Sol, & formoſa tanquam Jeruſalem? * Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & reginæ laudaverunt eam.

℣. Et ſicut dies verni circundabant eam flores roſarum, & lilia convallium. Viderunt.

Lectio vi.

MIraris hæc? Adhuc mirare. Parit Mater, & Virgo, fœta, & intacta: naſcitur filius ſine homine Patre, qui fecit & ipſam Matrem. Factor omnium, fit inter omnia; portatur manibus Matris vector totíus orbis: lambit ubera regens ſidera: tacet, & Verbum eſt. Nec dum per linguam ſe demonſtrabat quis eſſet, & univerſa creatura ſuum natum indicat Creatorem.

℟. Ornatam monilibus filiam Jeruſalem Dominus concupivit. * Et videntes eam filiæ Sion beatiſſimam prædicaverunt dicentes: * Unguentum effuſum nomen tuum.

℣. Adſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate. Et videntes. Gloria. Unguentum.

In Tertio Nocturno.

Homilia in Evangelium. Stabant autem, *ut ſupra menſe Aprili, S. Jo: Chryſoſt.* Ipſe crucifixus.

Quando autem accidit, ut fiat officium B. Mariæ in Sabbato menſe Majo poſt Octavam Corporis Chriſti (quod raro accidit) legitur Homilia S. Bonaventuræ in Evangelium Loquente Jeſu, *ut ſupra menſe Martio*, Poſt expreſſionem,

---

MENSE JUNIO.

In Secundo Nocturno.

Ex Libro S. Auguſtini Epiſcopi de Geneſi contrà Manichæos.

Lib.2. cap.24. in fin.

Lectio iv.

DOminus noſter Jeſus Chriſtus, ſicut Apoſtolus dicit, factus eſt ex ſemine David ſecundum carnem, ideſt, tanquam de limo terræ, cum

cum homo non eſſet, qui operaretur in terra, quia nullus homo operatus eſt in Virgine, de qua natus eſt Chriſtus. Fons autem aſcendebat de terra, & irrigabat omnem faciem terræ. Facies terræ, ideſt dignitas terræ, Mater Domini Virgo Maria rectiſſimè accipitur, quam irrigavit Spiritus Sanctus, qui fontis & aquæ nomine in Evangelio ſignificatur, ut quaſi de limo tali homo ille fieret, qui conſtitutus eſt in Paradiſo, ut operaretur, & cuſtodiret, ideſt in voluntate Patris, ut eam impléret, atque ſervaret.

℟. Sicut cedrus exaltata ſum in Libano, & ſicut cypreſſus in monte Sion: quaſi myrrha electa, * Dedi ſuavitatem odoris.

℣. Et ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizans. Dedi ſuavitatem.

De Aſſumpt. ſerm. 2. in Appendice apud Lovanien. ſerm. 83.

Lectio v.

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. O verè beata humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innovávit, mundum purificávit, Paradiſum aperuit, & hominum animas ab inferis liberavit! O verè, inquam, glorioſa Mariæ humilitas, quæ porta Paradiſi efficitur, ſcala Cœli conſtituitur! Facta eſt certè humilitas Mariæ ſcala cœleſtis, per quam deſcendit Deus ad terras. Quia reſpexit, inquit, humilitatem ancillæ ſuæ: Et quid eſt dicere, reſpexit, niſi comprobavit, placuit ei humilitas mea?

℟. Quæ eſt iſta, quæ proceſſit ſicut Sol, & formoſa tanquam Jeruſalem? * Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & reginæ laudaverunt eam.

℣. Et ſicut dies verni circundabant eam flores roſarum, & lilia convallium. Viderunt eam.

Lectio vi.

Quia fecit mihi magna, qui potens eſt. Quæ tibi magna fecit, quæſo, glorioſa Virgo, ut dici beata mereáris? Puto enim immo veraciter credo, ut creatura ederes Creatorem, famula Dominum generares; ut per te Deus mundum redimeret, per te illuminaret, per te ad vitã revocaret. Hucusque, ò Virgo beata, de teipſa, quæ nos ad amorem Dei accenderent, fideliter protuliſti: ea vero, quæ ſequuntur, humano generi prophetaſti.

℟. Ornatam monilibus filiam Jeruſalem Dominus concupivit. * Et videntes eam filiæ Sion beatiſſimam prædicave-

Digitized by Google

caverunt dicentes:* Unguentum effuſum nomen tuum.

℣. Adſtitit regína à dextris tuis in veſtítu deaurato, circumdata varietate. Et videntes, Gloria. Unguentum.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm [redacted] Lucã.

Lectio vij. *Cap. 19.*

IN illo tempore: loquente Jeſu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi; Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilía Sancti Bonaventúræ Epiſcopi.

In cap. 11. Lucæ poſt med.

LAudat hæc mulier Chriſtum Dei filium, extollens laudis ejus præconium ex beatitudine Matris: quaſi dicat: Beata mulier, quæ portavit tam bonum filium. Et rectè, quia decebat ſexum fœmineum ſic laudare. Nec tantum fœminas: immo etiam viros. Nam ſupra primò dixit Virgo: Ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Fuit autem venter Virginis beatus propter tria privilegia: quia (ut dicit Bernardus) fuit ſine corruptione fœcunda, ſine gravedine gravida, ſine dolore puerpera. Unde dici poteſt illud Iſaíæ: Quis audivit umquam tale? Et quis vidit huic ſimile?

℟. Felix namque es ſacra Virgo María, & omni laude digniſſima,* Quia ex te ortus eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter.

℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo ſexu: ſentiant omnem tuum juvámen quicumque celebrant tuam ſanctam commemorationem. Quia ex te.

Lectio viij.

FUit etiam beatus propter tria miracula. Primum eſt conjunctio infinitè diſtantium: Deus enim ibi factus eſt homo, Creator, creatura, Immenſus, parvus, Verbum, infans, Æternus, temporalis, ſecundum illud Joannis: Et Verbum caro factum eſt. Secundum miraculum eſt, quia, qui fecit ventrem, factus eſt in ventre. Unde in Pſalmo: Glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei. Et poſt: Homo natus eſt in ea, & ipſe fundavit eam Altiſſimus. Tertium miraculum, quia, qui continet omnia, continetur in ventre, & ille ibi capitur, quem totus non capit orbis. Unde cantat Eccleſia: Quia, quem cæli capere non poterant tuo gremio contuliſti.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens eſt, & ſanctũ nomen ejus.

℣. Et

Digitized by Google

℣. Et miſericordia ejus à progenie in progenies, timentibus eum. Quia fecit. Gloria. Quia fecit.

Lectio ix.

NEc tántū beatificat ventrem propter portatio. nem, ſed ubera propter lactationem, cum ſubdit: Et ubera, quæ ſuxiſti. Ex quo datur intelligi, quod à ſolis uberibus Beatiſſimæ Virginis lactatus fuit. Quod deſignatum fuit in Moyſe, qui lactari (ut dicitur) noluit à muliere Ægyptiaca. Et ideo quæſita fuit mulier Hebræa, ſcilicet Mater propria, ſicut dicitur in Exodo. Ideo autem junxit iſta duo, ut oſtenderetur Virgo Maria fuiſſe Mater Chriſti vera, & perfecta, quia non ſolùm genuit, ſed & educavit, & ſicut verè educavit, ita verè genuit.

Te Deum laudamus.

MENSE IULIO.

In Secundo Nocturno.

Sermo Sancti Hieronymi Presbyteri.

Ex Epiſt. 10. ad Paulam, & Euſtochium poſt init.

Lectio iv.

QUalis, & quanta eſſet beata, & glorioſa ſemper Virgo Maria, ab Angelo divinitùs declaratur, cùm dicitur: Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Talibus, namque, decebat Virginem oppignerari muneribus, ut eſſet gratia plena, quæ dedit Cœlis gloriam, terris Dominum, pacemque refūdit, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus diſciplinam. Et benè plena, quia cæteris per partes præſtatur. Mariæ verò ſimul ſe tota infūdit plenitudo gratiæ. Verè plena, quia etſi in Sanctis Patribus, & Prophetis gratia fuiſſe creditur, non tamen eatenus plena. In Mariam verò totius gratiæ, quæ in Chriſto eſt, plenitudo venit, quamquam aliter. Et ideo, inquit: Benedicta tu in mulieribus, ideſt, plus benedicta, quàm omnes mulieres. Ac per hoc quidquid maledictionis infuſum eſt per Hevam, totum abſtulit benedictio Mariæ.

℟. Sicut cedrus exaltata ſum in Libano, & ſicut cypreſſus in monte Sion: quaſi myrrha electa, * Dedi ſuavitatem odoris.

℣. Et ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizans. Dedi.

Lectio v.

DE ipſa Salomon in Canticis, quaſi in laudem ejus: Veni, inquit, columba mea, immaculata mea. Jam enim hiems tranſiit, imber abiit, & receſſit. Ac deindè, inquit: Veni de Libano, veni, coro-

Digitized by Google

coronaberis. Non immerito igitur venire de Libano jubetur, quia Libanus, candidatio interpretatur. Erat enim candidata multis meritorum virtutibus, & dealbata nive candidior Spiritus Sancti muneribus, ſimplicitatem colũbæ in omnibus repræſentans: quoniam quidquid in ea geſtum eſt, totum puritas, & ſimplicitas, totum veritas, & gratia fuit, totum miſericordia, & juſtitia, quæ de cœlo proſpexit: & ideò immaculata, quia in nullo corrupta.

℟. Quæ eſt iſta, quæ proceſſit ſicut Sol, & formoſa tanquam Jeruſalem? * Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & reginæ laudavérunt eam.

℣. Et ſicut dies verni circumdabant eam flores roſarum, & lilia convallium. Viderunt eam. *Lectio vi.*

Circumdedit enim virum in utero, ſicut Jeremías ſanctus teſtatur, & non aliundè accepit. Faciet, inquit, Dominus novum ſuper terram, & mulier circumdabit virum. Verè novum, & omnium novitatum ſupereminens nòvitas virtutum, quando Deus (quem ferre non poteſt mundus, neque videre aliquis, ut vivere poſſit) ſic ingreſſus eſt hoſpitium ventris, ut corporis clauſtrum neſciret, ſicque geſtatur, ut totus Deus in eo eſſet; & ſic exivit inde, ut eſſet (ſicut Ezechiel fatétur) porta omninò clauſa. Unde canitur in eiſdem Canticis de ea: Hortus concluſus, fons ſignátus, emiſſiones tuæ Paradiſus. Verè hortus deliciarum, in quo conſita ſunt univerſa florum genera, & odoramenta virtutum, ſicque concluſus, ut neſciat violari, neque corrumpi ullis inſidiarum fraudibus. Fons itaque ſignàtus ſigillo totius Trinitatis.

℟. Ornatam monilibus filiã Jeruſalem Dominus concupivit. * Et videntes eam filiæ Sion beatiſſimam prædicavérunt dicentes: * Unguentum effuſum nomen tuum.

℣. Adſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate. Et videntes. Gloria. Unguentum.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 11.

In illo tempore: Loquente Jeſu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

De Homilia Sancti Bonaventúræ Epiſcopi.

In cap. 11. Lucæ poſt med.

At ille dixit: Quinimmò beati, qui audiunt Ver-

 bum

Digitized by Google

bum Dei. Hoc non dicit adverſando, ſed potiùs ſuperaddendo, quaſi diceret: Non ſolùm beatus venter, qui portavit me Verbum caro factū: verùm etiam beatior, qui ſuſcipit Verbum à me prolatum. Unde & María non tantùm beata fuit, quia Chriſtū geſtavit in carne: verùm etiā beatior, quia ipſūm perfectiſſimè geſtavit in mente, ſecundùm quod dicit Auguſtinus: Beatior fuit María concipiendo fidem Chriſti, quàm carnem Chriſti. Beatus eſt enim omnis, qui audit, & obedit: ſecundùm illud ipſius Domini apud Joannē: Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea. Et ideò ſubdit: Et cuſtodiūt illud.

℟. Felix nāque es ſacra Virgo María, & omni laude digniſſima, * Quia ex te ortus eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter.

℣. Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuā ſanctam commemorationem. Quia ex te. *Lect. viij.*

In quo verbo Chriſtus noluit laudare Matris cognationem carnalem per ſe; nā & ſupra (Joannes dixit Judæis: Ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham); ſed ſpiritualem, quia ſanctior eſt copula mentium, quàm corporum. Et ideò cum quærerent eum Mater, & fratres ejus, dixit: Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis eſt: ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt. Et propter hoc Virgo María fuit laudabilis in concipiendo, quia fide concepit. Et ideò dixit ei Eliſabeth: Beata, quæ credidiſti: quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens eſt, & ſanctū nomen ejus.

℣. Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit. Gloria. Quia fecit. *Lectio ix.*

Ex quo apparet mira commendatio veritatis, quæ omnes ſibi adhærentes beatos efficit, non ſolùm adhærentes carnali cognatione, ut Virgo María, verùm etiam ſpirituali dilectione, ſicut quælibet anima ſancta. Ut enim dicit Auguſtinus: Beatitudo eſt gaudium de veritate: ad quod gaudium venient, qui veritatem audiunt, diligunt, & faciunt ſecundum illud Eccleſiaſtici: Qui audit me non confundetur, & qui operantur in me non peccabunt: Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

Te Deum laudamus.

MEN-

Digitized by Google

MENSE AUGUSTO.

In Secundo Nocturno.

Sermo S. Hieronymi Presbyteri de perpetua virginitate beatæ Mariæ.

Lectio iv.

CUm eſſet deſponſata Mater ejus Maria Joſeph, priùſquã convenirent, inventa eſt habens in utero de Spiritu Sãcto. Inventa eſt autẽ a nullo alio, niſi à Joſeph: qui Sponſæ uterũ tumentẽ penè jam licentia maritali & curioſis oculis deprehendit. Nõ tamen ſequitur, eum cum Maria conveniſſe poſt partum, cujus conveniendi deſideriũ uteri conceptione ſublatum eſt. Quod autem in ſomnis dicitur ad Joſeph: Nè timeas accipere Mariam uxorem tuam: nullum movere debet, quaſi ex eo, quod uxor eſt appellata, ſponſa eſſe deſierit: cum hanc eſſe ſcripturæ divinæ conſuetudinem noverimus, ut ſponſas appellet uxores.

℟. Sicut cedrus exaltata ſum in Libano, & ſicut cypreſſus in monte Sion: quaſi myrrha electa, * Dedi ſuavitatem odoris.

℣. Et ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizans. Dedi.

Verſus finem. Lectio v.

NAtum Deum eſſe de Virgine credimus, quia legimus: Mariam nupſiſſe poſt partum non credimus, quia Non legimus. Tu dicis Mariam, Virginem non permanſiſſe: ego mihi plùs vindico, etiam ipſum Joſeph Virginem fuiſſe per Mariam, ut ex virginali conjugio Virgo filius naſceretur. Si enim in virum ſanctum fornicatio non cadit, & aliam eum uxorem habuiſſe non ſcribitur; Mariæ autem, quam putatus eſt habuiſſe, cuſtos potius fuit, quam maritus: relinquitur, Virginem eum manſiſſe cum Maria, qui pater Domini meruit appellari.

℟. Quæ eſt iſta, quæ proceſſit ſicut Sol, & formoſa tanquam Jeruſalem? * Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & reginæ laudaverunt eam.

℣. Et ſicut dies verni circumdabant eam flores roſarum, & lilia convallium. Viderunt eam.

Ex lib. 21. ejuſdem, adverſus Pelagianos poſt init.

Lectio vi.

DE utero virginali natus eſt Chriſtus, de quo ſcriptum eſt: Omnis qui aperit vulvam, ſanctus Domino vocabitur. Omnes hæretici erraverunt, non intelligentes myſterium nativitatis ejus: magiſque ad ſpecialem nativitatem Salvatoris, quam ad omnium hominum referri poteſt hoc, quod dicitur: Qui

Digitized by Google

aperit vulvam ſanctus vocabitur Domino. Solus enim Chriſtus clauſas portas vulvæ virginalis aperuit, quæ tamen clauſæ jugiter permanſerunt. Hæc eſt porta orientalis clauſa, per quam ſolus Pontifex ingreditur, & egreditur, & nihilominùs ſemper clauſa eſt.

℞. Ornatam monilibus filiam Jeruſalem Dominus concupivit. * Et videntes eam filiæ Sion beatiſſimam prædicaverunt dicentes: * Unguentum effuſum nomen tuum.

℣. Adſtitit regína à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Et videntes. Gloria. Unguentum.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. *cap. 11.*

IN illo tempore: Loquente Jeſu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Chryſoſtomi.

In Matth. cap. 12. homil. 45. poſt initium.

UNa, ſola, & vera, & communis nobilitas, atque neceſſitudo cum Chriſto eſt, ut voluntatem Dei facias: Hic propinquitatis modus multò melior eſt, atque uberior. Idcircò, cum mulier quædam dixiſſet: Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti; non reſpondit, nullus me portavit venter, nec ulla ipſe ubera ſuxi: ſed, beati, qui faciunt voluntatem Patris mei. Vides quemadmodum nullibi conjunctionem hanc naturæ hominum negat, ſed addit ſemper illam, quæ à virtutibus eſt.

℞. Felix namque es ſacra Virgo María, & omni laude digniſſima, * Quia ex te ortus eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter.

℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam ſanctam commemorationem. Quia ex te.

Lectio viij.

NOn dixit, ſe non habere matrem, ſed inde matrem quoque ſuam beatitudinem conſecuturam aſſeruit, ſi Patris ejus faceret voluntatem. O admirabilem honorem! O virtutis incredibiles honores, quò ducitis benè viventes homines! Quot mulieres ſanctiſſimam illam Virginem beatificarunt? Quot uterum illum admirantur? Quot optarunt tales fuiſſe matres, & cætera contemnere omnia?

℣. Bea-

Digitized by Google

℣. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.

℣. Et miſericordia ejus à progenie in progenies, timentibus eum. Quia fecit. Gloria. Quia fecit.

Lectio ix.

QUid igitur prohibet? Ecce namque rectam, atque facilem viam nobis propoſuit, ut non fœminis ſolùm, verùm etiam viris ad hunc ordinem pervenire liceat, immo verò etiam ad majorem. Multò enim propinquiores Deo ſunt, qui voluntatem ejus faciunt, quã qui ſumma carnis neceſſitudine conjunguntur. Non ergo ſimpliciter propinquitatem illam deſidera, verùm etiam viam capeſſe, magnoque ſtudio conſice, quæ ad hoc deſiderium te perducant.

Te Deum laudamus.

MENSE SEPTEMBRI.

In Secundo Nocturno.

Sermo S. Bernardi Abbatis.
Serm. de Aquæductu in Nativ. B.V. Mariæ num.6., & 7.

ALtiùs intueamini fratres, quanto devotionis affectu à nobis eam voluérit honorari, qui totius boni plenitudinem poſuit in Maria: ut proinde ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea noverimus redundare, quæ aſcendit deliciis affluens. Hortus planè deliciarum, quem non modò afflaverit veniens, ſed & perflaverit ſuperveniens auſter ille divinus, ut undiquè fluant, & effluant aromata ejus, chariſmata ſcilicèt gratiarum. Tolle corpus hoc ſolare, quod illuminat mundum: ubi dies? Tolle Mariam hanc maris ſtellam, maris utique magni, & ſpatioſi: quid, niſi caligo involvens, & umbra mortis, ac denſiſſimæ tenebræ relinquuntur?

℟. Sicut cedrus exaltata ſum in Libano, & ſicut cypreſſus in monte Sion: Quaſi myrrha electa, * Dedi ſuavitatem odoris.

℣. Et ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizans. Dedi.

Lectio v.

TOtis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur: quia ſic eſt voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Hæc, inquam voluntas ejus eſt, ſed pro nobis. In omnibus ſiquidem, & per omnia providens miſeris trepidationem noſtrã ſolatur, fidem excitat, ſpem roborat, diffidentiam abigit, erigit puſillanimitatem.

Digitized by Google

℟. Quæ eſt iſta, quæ proceſſit ſicut Sol, & formoſa tanquam Jeruſalem? * Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & reginæ laudaverunt eam.

℣. Et ſicut dies verni circumdabant eam flores roſarum, & lilia convallium. Viderunt eam.

Lectio vi.

AD Patrem verebaris accedere, ſolo auditu territus ad folia fugiebas. Jeſum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentia ſua: Pater enim diligit filium. An vero trepidas, & ad ipsũ? Frater tuus eſt, & caro tua: tentatus per omnia abſque peccato, ut miſericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forſan, & in ipſo majeſtatem vereare Divinam, quod licèt factus ſit homo, manſerit tamen Deus. Advocatum habere vis & ad ipſum? Ad Mariam recurre.

℟. Ornatam monilibus filiam Jeruſalem Dominus concupivit. * Et videntes eam filiæ Sion beatiſſimam prædicaverunt dicentes: * Unguentum effuſum nomen tuum.

℟. Adſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Et videntes. Gloria. Unguentum.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. *Cap. 11.*

IN illo tempore: Loquente Jeſu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Chryſoſtomi.

In Joannem cap. 2. homil. 20. circa finem.

CUm audieris mulierem illam dicentem: Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ tu ſuxiſti: Deinde Dominum reſpondentem: Quin immo beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud: ea ſententia dictum exiſtima, non quod matrem negligeret, ſed nihil ei utilitatis matris nomen allaturum oſtenderet, niſi bonitate, & fide præſtaret. Quod ſi Mariæ nihil ſine virtute materna charitas erat profutura, longè minùs nobis patris, fratris, matris, filii bonitas, niſi aliquid noſtrum afferamus.

℟. Felix namque es ſacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima: * Quia ex te ortus eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter.

℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo ſexu: ſentiant

tiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam ſanctam commemorationem. Quia.

Lectio viij.

IN nullo namque alio, niſi in ſolis ſui ipſius virtutibus poſt Divinam gratiam de ſalute cuipiam ſperandum eſt. Nam ſi id profuturum erat per ſe Mariæ, profuiſſet etiam Judæis, quorum conſanguineus erat Chriſtus ſecundum carnem, profuiſſet Civitati, in qua natus eſt, profuiſſet fratribus. Atqui dum fratres rerum ſuarum curam habuerunt, nihil eis propinquitatis nomen profuit, ſed cum reliquo mundo damnati erant.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.

℣. Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit. Gloria. Quia fecit.

Lectio ix.

TUnc autem admirationi eſſe cœperunt, quandò propria claruerunt virtute; patria vero nihil inde conſecuta cecidit, & incendio abſumpta eſt: Concives miſerè interempti periere; conſanguinei ſecundum carnem nil ad ſalutem lucrati ſunt, deficiente virtutis patrocinio. Verùm Apoſtoli ante omnes clariſſimi evaſerunt, cum ſe ad veram, & expetendam ejus familiaritatem, conſuetudinemque per obedientiam contulerunt. Hinc intelligimus, fide ſemper nobis opus eſſe, & vita, quæ virtutibus luceat: hæc dumtaxat ſalvos nos facere poterit.

Te Deum laudamus.

MENSE OCTOBRI.

In Secundo Nocturno.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Serm. de Aquæductu in Nativ. B.V. Mariæ num. 7. & 8.

Lectio iv.

PUra ſiquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, ſed & pura ſingularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudietur & ipſa pro reverentia ſua. Exaudiet utique Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater. Filioli, hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ. Quid enim? Poteſtnè filius aut repellere, aut ſuſtinere repulſam? Non audire, aut non audiri filius poteſt? Neutrum planè.

℟. Sicut cedrus exaltata ſum in Libano, & ſicut cypreſſus in monte Sion: Quaſi myrrha electa, * Dedi ſuavitatem odoris.

Digitized by Google

℣. Et ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizans. Dedi ſuavitatem.

Lectio v.

INveniſti, ait Angelus, gratiam apud Deum. Feliciter. Semper hæc inveniet gratiam, & ſola eſt gratia, qua egemus. Prudens Virgo, non ſapiëtiam, ſicut Salomon, non divitias, non honores, non potentiam, ſed gratiam requirebat. Nimirum, ſola eſt gratia, qua ſalvamur. Quid nos alia concupiſcimus, fratres? Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus, quia qui quærit invenit, & fruſtrari non poteſt. Quæramus gratiam, ſed gratiam apud Deum, nam apud homines gratia fallax.

℟. Quæ eſt iſta, quæ proceſſit ſicut Sol, & formoſa tanquam Jeruſalem? * Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & reginæ laudaverunt eam.

℣. Et ſicut dies verni circumdabant eam flores roſarum, & lilia convallium. Viderunt eam.

Lectio vj.

DE reliquo, fratres, curandum nobis ſummopere eſt, nè Verbum, quod de ore Patris ad nos egreſſum eſt, Virgine mediante, vacuum revertatur: ſed per eamdem nihilominùs Virginem, gratiam pro gratia referamus. Eructemus memoriam, donec præſentiam ſuſpiramus, & ſuæ reddantur origini fluenta gratiæ, ut uberiùs fluant. Alioquin, niſi ad fontem redeant, exſiccantur, & infideles in modico, quod maximum eſt accipere non meremur.

℟. Ornatam monilibus filiam Jeruſalem Dominus concupivit. * Et videntes eam filiæ Sion beatiſſimam prædicaverunt dicentes:* Unguentum effuſum nomen tuum.

℣. Adſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Et videntes eam. Gloria Patri. Unguentum effuſum.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii ſecundùm Lucam.

Lectio vij.

IN illo tempore: Loquente Jeſu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilía Sancti Bonaventúræ Epiſcopi.

In cap. 11. Lucæ poſt med.

POſt expreſſionem fraudis Judaicæ, & reprobationem fraudis expreſſæ, ſubdit hic Evangeliſta commendationem veritatis apertæ. Et hoc quidem conveniens erat: ut manifeſtata veritate veritas

Digitized by Google

tas ipſa ſeipſam manifeſtans laudaretur manifeſtè coram tota multitudine. In deſcriptione autem hujus commendationis laudativæ tria introducuntur. Primum eſt conditio perſonæ laudantis: ſecundum eſt expreſſio laudis divinæ: Tertium eſt approbatio laudis expreſſæ.

℟. Felix namque es ſacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima, * Quia ex te ortus eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter.

℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam ſanctam commemorationem. Quia ex te.

Lectio viij.

DUplex autem notatur conditio in perſona laudante, ſcilicèt virilitas, & modicitas. Virilitas notatur in hoc, quod vocem extollebat ſecundùm illud Iſaiæ: Exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jeruſalem: exalta, noli timere. Modicitas in hoc, quod quædam mulier, non nominata, nec nobilis, ſed de turba: ut impleretur illud Pſalmiſtæ: Pauper, & inops laudabunt nomen tuum. Ex quo apparet, quod laudator divini nominis, non debet eſſe timidus, ut laudare non audeat; nec tumidus, ut laudare erubeſcat: ſed virilis, & humilis.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens eſt, & ſanctū nomen ejus.

℣. Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit. Gloria. Quia fecit.

Lectio ix.

UNde, cum quidam ex timore tacérent: quidam blaſphemarent ex ſuperbia, & tumore: hæc mulier humilis, & virilis, nec tacuit cum timidis, nec vituperavit cum blaſphemis. Magna ejus fiducia, quæ inter blaſphemos confitetur Dei filium. Ideò poterat ei dici illud, quod dictum eſt à Domino mulieri Chananeæ: O mulier, magna eſt fides tua! quæ ſcilicèt tantum te fortificavit, cum in Proverbiis dicatur: Mulierem fortem quis inveniet? In te verificatum eſt illud Eccleſiaſtici: Fundamenta æterna ſuper petram ſolidam, ſic mandata Dei in corde mulieris ſanctæ. Te Deum.

MENSE NOVEMBRI.

In Secundo Nocturno.

De Serm. S. Bernardi Abbatis. *Serm. 4. de Aſſumpt. circa med.*

Lectio iv.

NOn eſt equidem, quod me magis delectet, ſed nec

nec eſt, quod terreat magis, quam de gloria Virginis Mariæ habere ſermonem. Ecce enim, ſi in ea laudavero virginitatem, mihi multæ Virgines poſt eam videntur offerri. Si humilitatem prædicavero, invenientur fortè vel pauci, qui, docente filio ejus, mites facti ſunt, & humiles corde. Si magnificare voluero miſericordiæ ejus multitudinem, ſunt aliqui miſericordiæ viri, etiam & mulieres. Unum eſt, in quo, nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem, gaudia Matris habens cum virginitatis honore. Mariæ privilegium eſt, non dabitur alteri: ſingulare eſt, ſed continuò etiam indicibile invenitur.

℞. Sicut cedrus exaltata ſum in Libano, & ſicut cypreſſus in monte Sion: Quaſi myrrha electa, * Dedi ſuavitatem odoris.

℣. Et ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizans. Dedi.

Lectio v.

VErumtamen nõ hoc tantùm, ſi diligenter attendas, ſed cæteras quoque virtutes ſingulares prorsùs invenies in Maria, quæ videbantur eſſe communes. Quæ enim vel angelica puritas virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus Sancti ſacrarium fieri, & habitaculũ Filii Dei? Quanta vero, & quam pretioſa humilitatis virtus cum tanta puritate, cum innocentia tanta, cum conſcientia prorsùs abſque delicto, immo cum tantæ gratiæ plenitudine? Unde tibi humilitas, & tanta humilitas, ò beata? Digna planè, quam reſpiceret Dominus, cujus decorem concupiſceret Rex, cujus odore ſuaviſſimo ab æterno illo Paterni ſinus attraheretur accubitu.

℞. Quæ eſt iſta, quæ proceſſit ſicut Sol, & formoſa tanquam Jeruſalem? * Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & reginæ laudaverunt eam.

℣. Et ſicut dies verni circumdabant eam flores roſarum, & lilia convallium. Viderunt eam.

Lectio vi.

ECce jam quibus potuimus votis aſcendentem te ad Filium deduximus, & proſecuti ſumus, ſaltem à longè Virgo benedicta. Sit pietatis tuæ, ipſam, quam apud Deum gratiam inveniſti, notam facere mundo, reis veniam, medélam ægris, puſillis corde robur, afflictis conſolationem, periclitantibus adjutorium, & liberationem ſanctis tuis precibus obtinendo. In hac quoque die dulciſſimum Mariæ nomen cum laude

de invocantibus ſervulis, per te Regina clemens, gratiæ ſuæ munera largiatur Jeſus Chriſtus Filius tuus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedicta in ſecula. Amen.

℟. Ornatam monilibus filiam Jeruſalem Dominus concupivit. * Et videntes eam filiæ Sion beatiſſimam prædicaverunt dicentes: * Unguentum effuſum nomen tuum.

℣. Adſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate. Et Videntes. Gloria. Unguentum.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. *Cap. 11.*

IN illo tempore: Loquente Jeſu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilía S. Bonaventúræ Epiſcopi.

In cap. 11. Lucæ poſt med.

LAudat hæc mulier Chriſtum Dei Filium, extollens laudis ejus præconium ex beatitudine Matris, quaſi dicat: Beata mulier, quæ portavit tam bonum filium. Et rectè, quia decebat ſexum fœmineum ſic laudare. Nec tantum fœminas: immo etiam viros. Nam ſupra, dixit Virgo: Ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Fuit autem venter Virginis beatus propter tria privilegia: quia (ut dicit Bernardus) fuit ſine corruptione fœcunda, ſine gravedine gravida, & ſine dolore puerpera. Unde dici poteſt illud Iſaiæ. Quis audivit unquam tale? Et quis vidit huic ſimile?

℟. Felix namque es, ſacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima, * Quia ex te ortus eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter.

℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam ſanctam commemorationem. Quia ex te.

Lectio viij.

FUit etiam beatus propter tria miracula. Primum, eſt conjunctio infinitè diſtantium: Deus enim ibi factus eſt homo, Creator creatura, Immenſus parvulus, Verbum infans, Æternus temporalis ſecundùm illud Joannis: Et Verbum caro factum eſt. Secundum miraculum eſt, quia, qui fecit ventrem, factus eſt in ventre. Unde in Pſalmis dicitur: Glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei. Et poſt: Homo natus eſt in ea, & ipſe fundavit eam Altiſſimus. Tertium miraculum: Quia, qui continet

Digitized by Google

net omnia, continetur in ventre: & ille ibi capitur, quem totus non capit orbis. Unde cantat Eccleſia: Quia, quem cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.

℣. Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit. Gloria Patri. Quia fecit.

Lectio ix.

NEc tantũ beatificat ventrem propter portationem, ſed ubera propter lactationem, cum ſubjungit: Et ubera, quæ ſuxiſti. Ex quo datur intelligi, quod à ſolis uberibus beatiſſimæ Virginis lactatus fuit. Quod deſignatum fuit in Moyſe, qui lactari (ut dicitur) noluit à muliere Ægyptiaca. Et ideò quæſita fuit mulier Hebræa, ſcilicèt mater propria, ſicut in Exodo legitur. Ideo autem junxit iſta duo, ut oſtenderetur Virgo Maria fuiſſe Mater Chriſti vera, & perfecta, quia non ſolum genuit, ſed & educavit, & ſicut verè educavit, ita verè genuit.

Te Deum laudamus.

MENSE DECEMBRI.

In Secundo Nocturno.

Ex Lib. 2. S. Ambroſii Epiſcopi de Virginibus.

Lectio iv.

MAria ſic omnia implebat virtutis officia, ut non tam diſceret, quàm doceret. Talem hanc Evangeliſta monſtravit, talem Angelus reperit, talem Spiritus Sanctus elégit. Quid enim in ſingulis morer, ut eam parentes dilexerint, extranei prædicaverint, quæ digna fuit, ex qua Dei filius naſceretur? Hæc ad ipſos ingreſſus Angeli inventa domi in penetralibus ſine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obſtreperet: Neque enim comites fœminas deſiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat: quin etiam tum ſibi minus ſola videbatur, cum ſola eſſet.

℟. Sicut cedrus exaltata ſum in Libano, & ſicut cypreſſus in monte Sion: quaſi myrrha electa, * Dedi ſuavitatem odoris.

℣. Et ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizans. Dedi.

Lectio v.

NAm quemadmodum ſola, cui tot libri adeſſent, tot Archangeli, tot Prophetæ? Denique, & Gabriel eam, ubi reviſere ſolebat, invénit: & Angelum Mariæ, quaſi

Digitized by Google

quaſi viri ſpecie mota, trepidavit, quaſi non incognitum audito nomine recognovit. Ita peregrinata eſt in viro, quæ non eſt peregrinata in Angelo; ut agnoſcas aures religioſas, oculos verecundos. Denique ſalutata obmutuit, & appellata reſpondit. Sed, quæ primo titubaverat aſpectu, poſtea promiſit obſequium.

℟. Quæ eſt iſta, quæ proceſſit ſicut Sol, & formoſa tanquam Jeruſalem? * Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & reginæ laudaverunt eam.

℣. Et ſicut dies verni circumdabant eam flores roſarum, & lilia convallium. Viderunt eam.

Lectio vj.

TAlis fuit Maria, ut ejus unius vita omnium ſit diſciplina. Si igitur auctor non diſplicet opus probemus; ut quicumque ſibi ejus exoptat præmium, imitetur exemplum. Quantæ in una Virgine ſpecies virtutum emicant! Secretum verecundiæ, vexillum fidei, devotionis obſequium: Virgo intra domum, comes ad miniſterium, Mater ad templum. O quantis illa Virginibus occurret, quantas complexa ad Dominum trahet, dicens: Hæc thorum filii mei, hæc thalamos nuptiales immaculato ſervavit pudore!

℟. Ornatam monilibus filiam Jeruſalem Dominus concupivit. * Et videntes eam filiæ Sion beatiſſimam prædicaverunt dicentes: * Unguentum effuſum nomen tuum.

℣. Adſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate. Et videntes. Gloria. Unguentum.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. *Cap. 11.*

IN illo tempore: Loquente Jeſu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, & reliqua.

De Homilia Sancti Bonaventuræ Epiſcopi.

In cap. 11. Lucæ poſt med.

AT ille dixit: Quinimmo, beati, qui audiunt verbum Dei. Hoc non dicit adverſando, ſed potiùs ſuperaddendo, quaſi diceret: Non ſolum beatus venter, qui portavit me, Verbum caro factum: verum etiam beatior, qui ſuſcipit verbum à me prolatum. Unde & Maria, non tantum beata fuit, quia Chriſtum geſtavit in carne: verum etiam beatior, quia ipſum perfectiſſimè geſtavit in mente, ſecundum quod dicit Auguſti-

Digitized by Google

guſtinus: Beatior fuit Maria concipiendo fidem Chriſti, quam carnem Chriſti. Beatus eſt enim omnis, qui audit, & obedit: ſecundum illud ipſius Domini apud Joannem: ſi hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea. Et ideo ſubdit. Et cuſtodiunt illud.

℟. Felix namque es ſacra Virgo María, & omni laude digniſſima,* Quia ex te ortus eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter.

℣. Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam ſanctam commemorationem. Quia ex te.

Lectio viij.

IN quo verbo Chriſtus noluit laudare Matris cognationem carnalem per ſe; (nam & ſupra Joannes dixit Judæis: ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham); ſed ſpiritualem, quia ſanctior eſt copula mentium, quàm corporum. Et ideò, cùm quærerent eum Mater, & fratres ejus, dixit: Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis eſt, ipſe meus frater, ſoror, & Mater eſt. Et propter hoc Virgo María fuit laudabilis in concipiendo, quia fide concépit. Et dixit ei Eliſabeth: Beata, quæ credidiſti: quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino.

℟. Beatàm me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.

℣. Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit. Gloria. Quia fecit.

Lectio ix.

EX quo apparet mira commendatio veritatis, quæ omnes ſibi adhærentes beatos efficit: non ſolùm adhærentes carnali cognatione, ut Virgo María: verùm etiam ſpirituali dilectione, ſicut quælibet anima ſancta. Ut enim dicit Auguſtinus: Beatitudo eſt gaudium de veritate, ad quod gaudium venient, qui veritatem audiunt, diligunt, & faciunt ſecundùm illud Eccleſiaſtici: Qui audit me non confundetur: & qui operantur in me, non peccabunt: Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

Te Deum laudamus.

LE-

Digitized by Google

OFFICIUM
S. PATRIS NOSTRI PHILIPPI BENITII
Recitandum ſub Ritu Semiduplici
Extra tempus Adventus, & Quadrageſimæ Singulis Menſibus prima die non impedita Feſto novem Lectionum.

In Primis Veſperis, & Matutino, & cæteris aliis Horis omnia dicantur, ut in Feſto à pagina 37. & deinceps, exceptis Lectionibus primi, ſecundi, & tertii Nocturni, quæ recitabuntur, ut infra.

VIII. Bened. Cuius Festum colimus, etc.

Menſe Januario. Pag. 40.

In Primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno Lectiones, ut in Feſto Sancti Philippi.

In Tertio Nocturno Lectiones, ut in dicto Feſto.

Menſe Februario. P. 45.

In Primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno Lectiones, ut in ſecunda die inf. octavā.

In Tertio Nocturno ut in dicta die.

Menſe Martio. P. 50.

In Primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Noct. Lectiones, ut in quarta die infra octavam.

In Tertio Nocturno Lectiones, ut in dicta die.

Menſe Aprili. P. 53.

In Primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno Lectiones, ut in octava S. Philippi.

In Tertio Nocturno Lectiones, ut in dicta die. ~~*cum hac tamen cautela, quod ex duabus Lectionibus, quæ ibi leguntur, tres efformentur, & recitentur.*~~

Menſe Majo. P. 70.

In Primo Nocturno Lectiones, de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno Lectiones ut in feſto S. Philippi.

In Tertio Nocturno, Lectiones, ut in dicto Feſto.

Menſe Junio. P. 45.

In Primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Noct. Lectiones, ut in ſecunda die infra octavam.

In Tertio Nocturno Lectiones, ut in dicta die.

Menſe Julio. P. 50.

In Primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

Digitized by Google

In Secundo Noct. Lectiones, ut in quinta die infra octavam.

In Tertio Nocturno Lectiones, ut in dicta die.

Menſe Auguſto. P. 53.

In Primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno Lectiones, ut in octava S. Philippi.

In Tertio Nocturno Lectiones, ut in dicta die, ~~*cum hac tamen cautela, quod ex duabus Lectionibus, quæ ibi leguntur, tres efformentur, & recitentur.*~~

Menſe Septembri. P. 40.

In Primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno Lectiones, ut in Feſto S. Philippi.

In Tertio Nocturno Lectiones, ut in die Feſto.

Menſe Octobri. P. 45.

In Primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Noct. Lectiones, ut in ſecunda die infra octavam.

In Tertio Nocturno Lectiones, ut in dicta die.

Menſe Novembri. P. 50.

In Primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Noct. Lectiones, ut in quinta die infra octavam.

In Tertio Nocturno Lectiones, ut in dicta die.

Menſe Decembri. P. 53.

In Primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Noct. Lectiones, ut in octava Sancti Philippi.

In Tertio Nocturno Lectiones, ut in dicta die, ~~*cum hac tamen cautela, quod ex duabus Lectionibus, quæ ibi leguntur, tres efformentur, & recitentur.*~~

Quando leguntur Lectiones de die octavæ, nona Lectio erit infraſcripta, ex Octavario Romano deſumpta.

Lectio IX.

ILLE nihil aliud mentes ſibi ſubditas docet, quàm celſitudinis culmen appetere, cuncta æqualia mentis tumore tranſcendere, ſocietatem omnium hominum alta elatione tranſire, ac ſeſe, & contra potentiam conditoris erigere, ſicut de eiſdem per Pſalmiſtam dicitur: Tranſierunt in diſpoſitionem cordis, cogitaverunt, & locuti ſunt nequitias, iniquitatem in excelſo locuti ſunt. Iſte ad ſputa, ad palmas, ad colaphos, ad ſpineam coronam, ad crucem, ad lanceam, atque ad mortem veniens, membra ſua admonet, dicens: Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur.

Digitized by Google

SUFFRAGIA SANCTORUM.

Præter conſueta ſuffragia facienda ut in Breviario Romano, ex vi noſtrarum Conſtitutionum tenemur, quotieſcumque fiunt ſuffragia in quolibet Conventu commemorationem facere de Patrono principaliori Civitatis, de Titulari noſtræ Eccleſiæ, ac de Sanctis Auguſtino, & Philippo Patre noſtro, ut ſequit. Antiph. in Laudibus, & Veſp. Sancti Dei intercedite pro noſtra, omniumque ſalute.

℣. Exultent juſti in conſpectu Dei.

℟. Et delectentur in lætitia.

Oratio.

Concede, quæſumus omnipotens Deus: ut ad meliorem vitam Sanctorum tuorum N. N., Auguſtini, Patriſque noſtri Philippi exempla nos provocent, quatenus quorum memoriam agimus, etiam actus imitemur.

Die 14. Januarii ne prædicta oratio propria S. Felicis Martyris bis dicatur in laudibus pro prædictis ſuffragiis, loco illius dicitur ſequens. *Oratio.*

Concede nobis, quæſumus omnipotens Deus, Sanctorum N. N., Auguſtini, Patriſque noſtri Philippi devota commemoratione gaudere, quorum patrocinio ſalvari, te auxiliante confidimus.

In faciendis prædictis commemorationibus ſervari debet hic ordo. In prædicta oratione primò explicari debet nomen Patroni, ſecundò Titularis, tertiò S. Auguſtini, quartò S. Philippi. Ubi verò Patronus, vel Titularis eſſet major altero in magna diſtantia, ut eſt inter Deum, Beatam Virginem, & alios Sanctos: inter Angelos, S. Jo: Baptiſtam, & reliquos in univerſali, tunc ſuo loco facienda eſt commemoratio illius particularis hoc ordine ſervato. De Salvatore, vel de Cruce, de S. Maria, de Angelis, de S. Jo: Baptiſta, de Apoſtolis, de Sanctis veteris teſtamenti, & de cæteris.

Si fiat commem. Salvatoris, non fit de Cruce, quia æquipollent.

Pro commem. de Cruce, ſive ſit Inventionis, ſive Exaltationis, ſemper dicetur Antiph. Per ſignum Crucis *conſueta, quæ dicetur etiam quando fit de feria.*

Ubi titulus fuerit de S. Maria, ſub quolibet nomine ſit, etiã Septem Dolorum, dicitur commem. communis: Sancta Maria ſuccurre miſeris, &c. *quæ dici debet, etiamſi quando fit de feria, dictum eſt officium parvum ejuſdem B. Mariæ ex decreto Sac. Rit. Congreg. 10. Januar. 1604.*

Reliquæ commemorationes facien-

Digitized by Google

ciendæ, deſumuntur ex Laudibus, & Veſp. Antiph. ad Benedictus, *&* Magnificat, *ut fuſiùs notari poteſt ex Gavanto tom. 2. ſect. 3. c. 12., & ſect. 5. c. 18. quæ hìc brevitatis gratia omittimus.*

COMMEMORATIO DEFUNCTORUM.

In fine Completorii, ex præſcripto Conſtitutionum faciendæ.

Antiph. Si iniquitates.

Pſalm. 129.

DE profundis clamávi ad te Domine; * Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intédentes,* in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſervaveris Domine Domine quis ſuſtinebit.

Quia apud te propitiatio eſt: * & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus: * ſperavit anima mea in Domino.

A cuſtodia matutina, uſque ad noctem: * ſperet Iſrael in Domino.

Quia apud Dominum miſericordia: * & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſrael, * ex omnibus iniquitatibus ejus.

Requiem æternam: * dona eis Domine,

Et lux perpetua,* luceat eis.

Antiph. Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit.

Kyrie eleiſon.

Chriſte eleiſon.

Kyrie eleiſon.

Pater noſter. *ſecretò.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. A porta inferi.

℟. Erue Dñe animas eorum.

℣. Requieſcant in pace.

℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

ABſolve, quæſumus Domine, animas Fratrum, Sororum, Propinquorum, Benefactorum noſtrorum, atque omnium fidelium defunctorum, ab omni vinculo delictorum, ut in reſurrectionis gloria inter Sanctos, & Electos tuos reſuſcitati reſpirēt. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

℣. Requiem æternam dona eis Domine.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Requieſcant in pace.

℟. Amen.

PRE-

Digitized by Google

PRECES, RITUS, ET ABSOLUTIONES.

VIGILIA BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Ex præſcripto noſtrarum Conſtitutionum.

Quolibet Veſpere in Choro ritu ſimplici, ſexta vero feria duplici, ac triduo ante Paſcha privatim perſolvenda: Ab initio Religionis noſtræ inſtituta. Quam Ordinis noſtri recitantibus pro qualibet vice Paulus V. ducentorum dierum indulgentiam in perpetuum conceſſit Anno 1608.

Dicuntur tres Pſalmi cum tribus Antiph. V. Lectionibus, & Reſponſoriis abſque Alleluja etiam tempore Paſchali.

Antiph. Benedicta tu. *Pſalmus 8.*

DOmine Dominus noſter, * quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra!

Quoniam elevata eſt magnificentia tua, * ſuper Cœlos.

Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, * ut deſtruas inimicum, & ultorem.

Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum: * lunam, & ſtellas, quæ tu fundaſti.

Quid eſt homo, quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam viſitas eum.

Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis, gloria, & honore coronaſti eum: * & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarũ.

Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, * oves, & boves univerſas: inſuper, & pecora campi.

Volucres cœli, & piſces maris, * qui perambulant ſemitas Maris.

Domine Dominus noſter, * quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra!

Antiph. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

Antiph. Sicut myrrha. *Pſalmus 18.*

COEli enarrant gloriam Dei, * & opera manuum ejus annunciat firmamentum.

Dies diei eructat verbum: * & nox nocti indicat ſcientiam.

Non ſunt loquelæ, neque ſermones: * quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exivit ſonus eorum; * & in fines orbis terræ verba eorum.

Digitized by Google

In Sole poſuit tabernaculum ſuum: * & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.
Exultavit ut gigas ad currendam viam, * à ſummo Cœlo egreſſio ejus.
Et occurſus ejus uſque ad ſummum ejus: * nec eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus.
Lex Domini immaculata convertens animas: * teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis.
Juſtitiæ Domini rectæ lætificantes corda: * præceptum Domini lucidum illuminans oculos.
Timor Domini ſanctus permanens in ſeculum ſeculi:* judicia Domini vera, juſtificata in ſemetipſa.
Deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum: * & dulciora ſuper mel, & favum.
Etenim ſervus tuus cuſtodit ea: * in cuſtodiendis illis retributio multa.
Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me: * & ab alienis parce ſervo tuo.
Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: * & emundabor à delicto maximo.
Et erunt ut complaceant eloquia oris mei: * & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.
Domine adjutor meus, * & redemptor meus.
Antiph. Sicut myrrha electa odorem dediſti ſuavitatis ſancta Dei genitrix.
Antiph. Ante thorum. *Pſalmus 23.*
DOmini eſt terra, & plenitudo ejus: * orbis terrarum, & univerſi, qui habitant in eo.
Quia ipſe ſuper maria fundavit eum: * & ſuper flumina præparavit eum.
Quis aſcendet in montem Domini? * aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?
Innocens manibus, & mundo corde, * qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo.
Hic accipiet benedictionem à Domino: * & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.
Hæc eſt generatio quærentium eum, * quærentium faciem Dei Jacob.
Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.
Quis
Digitized by Google

Quis eſt iſte Rex gloriæ? * Dominus fortis, & potens: Dominus potens in prælio.
Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.
Quis eſt iſte Rex gloriæ? * Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.
Antiph. Ante thorum hujus Virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis.
℣. Ave Maria gratia plena Dominus tecum.
℟. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Jeſus. Pater noſter *ſecretò*.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
Abſolutio. Precibus, & meritis beatæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum perducat nos Dominus ad regna Cœlorum. ℟. Amen. ℣. Jube Domne benedicere.
Benedict. Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria. ℟. Amen.

Lectio i.

SAncta Maria Virgo Virginum, Mater, & filia Regis Regum omnium, tuum nobis impende ſolatium; ut cœleſtis regni per te mereamur habere præmium, & cum electis Dei regnare in perpetuum. Tu autem Domine &c. ℟. Deogratias.
℟. Sancta, & immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam neſcio. * Quia quem cœli capere non poterant tuo gremio contuliſti.
℣. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Quia quem. ℣. Jube Domne benedicere.
Benedictio. Ipſa Virgo Virginum intercedat pro nobis ad Dominum. ℟. Amen.

Lectio ij.

SAncta Maria piarum piiſſima, intercede pro nobis Sanctarum ſanctiſſima: ut per te, Virgo, noſtra ſumat precamina, qui pro nobis natus regnat ſuper æthera: ut ſua pietate noſtra deleantur peccamina. Tu autem &c. ℟. Deo gratias.
℟. Beata es Virgo Maria, quæ Dominum portaſti Creatorem mundi: * Genuiſti qui te fecit, & in æternum permanes Virgo.
℟. Ave Maria gratia plena Dominus tecum. Genuiſti. Gloria patri. Genuiſti. ℣. Jube Domne benedicere.
Benedictio. Per Virginem Matrem concedat nobis Dominus ſalutem, & pacem. ℟. Amen.

Digitized by Google

Lectio iij.

SAncta Dei Genitrix, quæ digne meruiſti concipere, quem totus orbis nequivit compræhendere: quæſumus tuo pio interventu culpas noſtras ablue, ut perennis ſedem gloriæ per te redempti valeamus ſcandere, ubi manes cum tuo filio ſine tempore. Tu autem Domine &c. ℟. Deo gratias.

Antiphona.

SAlve regina mater miſericordiæ, vita dulcedo, & ſpes noſtra ſalve. Ad te clamamus exules filii Evæ. Ad te ſuſpiramus gementes, & flentes in hac lacrymarum valle. Eja ergo advocata noſtra illos tuos miſericordes oculos ad nos converte. Et Jeſum benedictum fructum ventris tuis nobis poſt hoc exilium oſtende. O clemens, ò pia, ò dulcis Virgo Maria.

℣. Ora pro nobis ſancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. *Oratio.*

OMnipotens ſempiterne Deus, qui glorioſæ Virginis Matris Mariæ corpus, & animam, ut dignum filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante præparaſti, da ut cujus commemoratione lætamur ejus pia interceſſione ab inſtantibus malis, & à morte perpetua liberemur. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Supradicta Antiph. Salve Regina ex præſcripto noſtrarum Conſtitutionum quolibet veſpere cantanda eſt ad Altare B. V. eundo, una cum ſequentibus Litaniis ſimiliter cantandis, vel ſine cantu recitandis pro locorum conſuetudine.

LITANIÆ BEATÆ MARIÆ VIRGINIS POST COMPLETORIUM PERSOLVENDÆ.

KYrie eleiſon,
Chriſte eleiſon,
Kyrie eleiſon,
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos,
Pater de Cœlis Deus, miſerere nobis.
Fili Redemptor Mundi Deus, miſerere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miſer.
Sancta Trinitas unus Deus, miſerere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora.
Sancta Virgo Virginum, ora.
Mater Chriſti, ora.
Mater Divinæ gratiæ, ora.
Mater puriſſima, ora.

Digitized by Google

Mater caſtiſſima, ora.
Mater inviolata, ora.
Mater intemerata, ora.
Mater amabilis, ora.
Mater admirabilis, ora.
Mater Creatoris, ora.
Mater Salvatoris, ora.
Virgo prudentiſſima, ora.
Virgo veneranda, ora.
Virgo prædicanda, ora.
Virgo potens, ora.
Virgo clemens, ora.
Virgo fidelis, ora.
Speculum juſtitiæ, ora.
Sedes ſapientiæ, ora.
Cauſa noſtræ lætitiæ, ora.
Vas ſpirituale, ora.
Vas honorabile, ora.
Vas inſigne devotionis, ora.
Roſa myſtica, ora.
Turris Davidica, ora.
Turris eburnea, ora.
Domus aurea, ora.
Fœderis arca, ora.
Janua cœli, ora.
Stella matutina, ora.
Salus infirmorum, ora.
Refugium peccatorum, ora.
Conſolatrix afflictorum, ora.
Auxilium Chriſtianorũ, ora.
Regina Angelorum, ora.
Regina Patriarcharum, ora.
Regina Prophetarum, ora.
Regina Apoſtolorum, ora.
Regina Martyrum, ora.
Regina Confeſſorum, ora.
Regina Virginum, ora.
Regina Sanctorum omnium, ora pro nobis.
Regina Servorum tuorũ. ora.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.
℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.
℞. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oratio.

GRatiam tuam, quæſumus Domine mentibus noſtris infunde: ut qui Angelo nuntiante Chriſti Filii tui incarnationem cognovimus, per paſſionem ejus, & crucem, ad reſurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum.
℞. Amen.
Loco hujus Orat. dicenda est Oratio Pietate tua, posita in fine letan.

CORONA BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Ab ipſo Religionis primordio à noſtris Patribus recitari conſueta, quinque Pſalmorum, totidemque Antiphonarum à ſingulis litteris ejus Sanctiſſimi nominis incipientium. Quæ modo infraſcripto perſolvitur, addito tempore Paſchali poſt Antiph., & Verſ. Alleluja.

Digitized by Google

Ave Maria &c. *ſecretò*.
℣. Ave Maria gratia plena, Dominus tecum.
℟. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Jeſus.
℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina. Gloria Patri &c.
Antiph. Maria Virgo.

Cantic. B. M. V. *Lucæ* 1.

MAgnificat, * Anima mea Dominum.
Et exultavit Spiritus meus * in Deo ſalutari meo.
Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: * ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.
Quia fecit mihi magna, qui potens eſt, * & ſanctũ nomen ejus.
Et miſericordia ejus à progenie in progenies, * timentibus eũ.
Fecit potentiam in brachio ſuo: * diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.
Depoſuit potentes de ſede, * & exaltavit humiles.
Eſurientes implevit bonis, * & divites dimiſit inanes.
Suſcepit Iſrael puerum ſuum: * recordatus miſericordiæ ſuæ.
Sicut locutus eſt ad patres noſtros. * Abraham, & ſemini ejus in ſecula. Gloria &c. Ave Maria &c.
Antiph. Maria Virgo aſſumpta eſt ad æthereum thalamum, in quo Rex regum ſtellato ſedet ſolio.
Antiph. Aſſumpta eſt. *Pſalmus* 116.

AD Dominum cum tribularer clamavi, * & exaudivit me.
Domine libera animam meam à labiis iniquis, * & à lingua doloſa.
Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi, * ad linguam doloſam.
Sagittæ potentis acutæ, * cum carbonibus deſolatoriis.
Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt: habitavi cum habitantibus Cedar: * multum incola fuit anima mea.
Cum his, qui oderunt pacem eram pacificus: * cum loquebar illis impugnabant me gratis. Gloria &c. Ave Maria &c.
Antiph. Aſſumpta eſt Maria in Cœlum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum.
Antiph. Rubum, quem viderat Moyſes. *Pſalmus* 118.

REtribue ſervo tuo vivifica me: * & cuſtodiam ſermones tuos.
Revela oculos meos, * & conſiderabo mirabilia de lege tua.

Incola

Digitized by Google

Incola ego ſum in terra: * non abſcondas à me mandata tua.
Concupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas, * in omni tempore.
Increpaſti ſuperbos:* maledicti qui declínant à mandatis tuis.
Aufer à me opprobrium, & contemptum: * quia teſtimonia tua exquiſivi.
Etenim ſederunt Principes, & adverſum me loquebantur: * ſervus autem tuus exercebatur in juſtificationibus tuis.
Nam & teſtimonia tua meditatio mea eſt: * & conſilium meum juſtificationes tuæ.
Adhæſit pavimento anima mea: * vivifica me ſecundum verbum tuum.
Vias meas enuntiavi, & exaudiſti me: * doce me juſtificationes tuas.
Viam juſtificationum tuarum inſtrue me: * & exercebor in mirabilibus tuis.
Dormitavit anima mea præ tædio:* cõfirma me in verbis tuis.
Viam iniquitatis amove à me: & de lege tua miſerere mei.
Viam veritatis elegi: * judicia tua non ſum oblitus.
Adhæſi teſtimoniis tuis Domine: * noli me confundere.
Viam mandatorum tuorum cucurri,* cum dilataſti cor meum.
Gloria &c. Ave Maria &c.

Antiph. Rubum, quem viderat Moyſes incombuſtum, conſervatam agnovimus tuam laudabilem Virginitatem: Dei Genitrix intercede pro nobis.

Antiph. Iſta eſt ſpecioſa. *Pſalmus* 125.

IN convertendo Dominus captivitatem Sion: * facti ſumus ſicut conſolati.
Tunc repletnm eſt gaudio os noſtrum, * & lingua noſtra exultatione.
Tunc dicent inter gentes: * Magnificavit Dominus facere cum eis.
Magnificavit Dominus facere nobiſcũ: * facti ſumus lætantes.
Converte Domine captivitatem noſtram: * ſicut torrens in auſtro.
Qui ſeminant in lacrymis, * in exultatione metent.
Euntes ibant, & flebant, * mittentes ſemina ſua.
Venientes autem venient cum exultatione, * portantes manipulos ſuos. Gloria &c. Ave Maria &c.

Antiph. *Iſta eſt ſpecioſa inter filias Jeruſalem.*

Antiph.

Digitized by Google

Antiph. Ante thorum. *Pſalmus* 122.

AD te levavi oculos meos, * qui habitas in cœlis.
Ecce ſicut oculi ſervorum: * in manibus Dominorum ſuorum.
Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ: * ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum donec miſereatur noſtri.
Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri, * quia multum repleti ſumus deſpectione.
Quia multum repleta eſt anima noſtra: * opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis. Gloria Patri &c.
Ave Maria &c.

Antiph. Ante thorum hujus Virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis. *Capitulum.* *Cantic.* 6.

VIderunt eam filiæ Sion, & Beatiſſimam prædicaverunt, & Reginæ laudaverunt eam. ℟. Deo gratias.

Hymnus.

MAria Mater gratiæ,
Dulcis parens Clementiæ;
Tu nos ab hoſte protege,
Et mortis hora ſuſcipe.
Jeſu tibi ſit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & almo ſpiritu
In ſepiterna ſecula. Amen.

℣. Dignare me laudare te, Virgo ſacrata.
℟. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos. *Oratio.*

FAmulorum tuorum, quæſumus Domine, delictis ignoſce: ut qui tibi placere de actibus noſtris non valemus, Genitricis Filii tui Domini noſtri interceſſione ſalvemur. Per eumdem Dominum &c. Amen.

RITUS
Coronandi Imaginem Beatæ Mariæ Virginis in ſero Sabbati Sancti.

Ab initio Religionis ſolēni pompa ſervari ſolitus. Ann. Cent. 1. c. 14. *Ante Completorium Sacerdos cum Miniſtris pergunt ad Altare B. Virginis Coronandæ, præcedentibus Ceroferariis, & Acolyto Coronam geſtante; qua ſuper Altare poſita cantatur ſolemniter Completorium, in quo tamen non aſſiſtunt ad Capitulum Ceroferarii cum candelis accenſis, neque ad* Nunc dimittis *incenſatur Altare. In fine, poſt* ℣. Benedicat, & cuſtodiat nos &c. *Fratres omnes procedunt proceſſionaliter à Choro ad Altare*

Digitized by Google

Altare B. Virginis, ubi Sacerdos accipiens Coronam, & aſcendens ad Coronandam Cœli Reginam, prius intonat Antiph. Regina Cœli &c., *deinde imponit Coronam capiti B. Virginis, pulſatis eodem tempore Organis, & Campanis in lætitiæ ſignum. Deſcendens poſtea incenſat Crucem, Sacram Imaginem, & altare de more, facitque aſperſionem cum aqua benedicta ſecundum conſuetudinem noſtram. Finita Antiphona & cantatis Litaniis revertuntur Fratres ad Chorum recitando ſine cantu Pſal.* Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi &c., *vel pulſantur Organa.*

ORDO

Faciendi aquam benedictam in honorem S.P.N. Philippi ante primas Veſperas Feſti.

Congregatis ad Fontem Fratribus proceſſionaliter cum Sacerdote, ac Miniſtris paratis, una cum Ceroferariis, & Acolytis aquam benedictã, & incenſum deferentibus Sacerdos in tono feriali dicit.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit Cœlum, & terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc, & uſque in ſeculum.
℣. Ora pro nobis beate Pater Philippe.
℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus. *Oratio.*

Fidelium, Deus, omnium fortitudo, & ſalus, qui ſocrum beati Petri Apoſtoli tui febribus magnis detentum, piæ rogationis intuitu perfectè ſanaſti; ſan✠ctifica, & bene✠dic Creaturam hanc aquæ in tuo ſacratiſſimo nomine, ac ſancti confeſſoris tui Philippi, quem, ſpreto ſeculo, ad almæ tuæ Genitricis Religionem vocare dignatus es, & concede, ejus glorioſis meritis, atque interceſſionibus, ut quicumque febrium vexatione gravantur, per hujus aquæ ſumptionem humilem, à cunctis Animæ, & Corporis languoribus liberentur, atque Eccleſiæ tuæ repreſentari mereantur, gratiarum tibi actiones in ea jugiter referendo. Qui vivis, & regnas cum

Digitized by Google

cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. ℟. Amen. Oremus.

DOmine Deus, Pater omnipotens ſtatutor omnium Elementorum, qui per Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum Elementum hoc aquæ in ſalutem humani generis eſſe voluiſti, te ſupplices deprecamur, ut, ſicut rogatu beati Philippi Confeſſoris tui Patris noſtri, ejus Balneis Tuniati, virtutem ſanandi morbos infudiſti, ita, exauditis orationibus noſtris, eam tuæ pietatis affectu ſancti✠fices, atque ita omnium ſpirituum immundorum ab ea recedat incurſio, ut ubicumque fuerit in nomine tuo aſperſa, gratia tuæ bene✠dictionis adveniat, & mala omnia, te propitiante procul recedant. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum, qui &c. ℟. Amen.

Deinde aſpergitur aqua benedicta, & adoletur incenſo.

RITUS
Benedicendi Panem S. Philippi Patris noſtri in ejus feſto die 23. Auguſti.

Completa Tertia, & etiam Aquæ benedictæ aſperſione, ſi Dominica fuerit, Celebrans Pluviali albo una cum Miniſtris Dalmatica, & Tunicella ejuſdem coloris indutis, ſed abſque manipulis procedit ad Altare Sancti Philippi, præcedentibus Acolytis cum aqua benedicta, & incenſo, eique facta convenienti reverentia aſcendit ad cornu epiſtolæ, ubi jam ſuper decenti menſa parati erunt panes benedicendi. Interim cantatur in Choro ſequens Antiphona.

Gaudeamus omnes in Domino diem feſtum celebrantes ſub honore Beati Philippi Mariæ Servi, de cujus ſolemnitate gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei.

Pſal. Fiat pax in virtute tua: * & abundantia in turribus tuis. Gloria. *Et repetitur Antiphona* Gaudeamus, *qua finita Celebrans dicit in tono feriali.*

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens, & miſericors Deus, qui ſemper mirabilia magna efficis, reſpice propitius preces noſtras, quas in feſtivitate Confeſſoris tui Beati Philippi Patris noſtri deferimus,

Digitized by Google

mus, & per fidelem famulatum, quem tibi in terris, ac Sanctiſſimæ Virgini Matri tuæ exhibuit: Bene ✝ dic, & ſancti ✝ fica hanc creaturam Panis, & omnem pravitatem, & nocendi facultatem ab ea expelle, ut eamdem in tui obſequium, & ejusdem Beati Philippi honorem ſumentibus: ad ſanandum corpus, & roborandum mentes, ſalubris, & efficax evadat; itaut eis nulla incantatio, nullum maleficium, ligamen nullum, vel quodcumque opus diaboli noceat: febres, languoresque tollat: ſanitatem ægris: conſolationem puſillanimis: debilibus fortitudinem afferat; & tandem hoc Pane benedicto veſcentibus omnium virtutum cumulus accedat, proſperi ſuccedant eventus, ut perpetua, & optanda Regni tui poſſeſſione perfruantur in ſecula ſeculorum. Amen.

Oremus.

DEus, qui Beato Philippo Patri noſtro tantam gratiam conferre dignatus es, ut Aretii Fratribus ſuis Panis laborantibus egeſtate, ipſe, ad imaginem Sanctiſſimæ Virginis accurrens, abundantiam Annónæ divinitùs delatæ impetraret: concede propitius, ut hos Panes, quos tua auctoritate Benedi ✝ cimus, & ſanctifi ✝ camus deguſtantibus nihil deſit, quod neceſſarium ſit, ut tuto, & ſano corpore vegetentur, ac anima eorum bonis omnibus repleatur, necnon Beati Philippi oculi intenti ſuper ipſos, domi, & extra: in Civitate, & in agro; in quiete, & itinere; in ſomnis, & vigiliis; in tranquillitate, & periculis eos protegant, & conſervent. & quidquid agunt, & meditantur tibi, tuæque ſanctiſſimæ Matri gratum ſemper, & acceptum fiat per æterna ſecula. ℟. Amen.

Oremus.

BEnedi ✝ ctus ſit hic Panis in nomine ſancto tuo Jeſu, qui è Germania redeunti Patri noſtro Philippo per imperviì nemoris anfractus triduo periclitanti Sanctos Angelos tuos miſiſti, ut errantem reducerent, & Pane mirabiliter allato recrearent: præſta quæſumus, ut per interceſſionem ejusdem nobis unquam in ſubſidio carnis,& ſpiritus Panis iſte non deſit, & concede, ut nos, qui eum devotè, & humiliter comedere profitemur, inter mundi hujus viciſſitudines, & diſcrimina verſantes, à Cœleſtibus Spiritibus ita dirigamur, quò facilè iter ſalutis teneamus, donec ad vitam æternam perveniamus, in qua vivis, & regnas in ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Ore-

Digitized by Google

Oremus.

DOmine Jeſu Chriſte fili Dei vivi, qui in deſerto, & in cœnaculis, & ad maris litus ſæpè Panes benedicens ſequentibus te diſtribuiſti, & accipientes tibi devinxiſti, ac in amorem tuum firmaſti, largire ſupplicantibus nobis, & hos Panes cum tui nominis invocatione Benedi ✝ centibus, ac in memoriam Sancti Patris noſtri Philippi dilargientibus, ut, quicumque eos piè deguſtaverint, paci, & charitati ſtudeant, Protectoremque eumdem Beatum Patrem, & Advocatum habeant, qui, ſicut, dum in terris degeret, diſſidentes pacificavit, peccantes correxit, ita in Cœlis glorioſus, omnia conſona, & pacata eis depoſcat, quatenus præmia pacis apud te parata conſequi valeant. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti per omnia ſecula ſeculorum. ℞. Amen.

Aſpergantur Panes Aqua benedicta, & adoleantur thure, deindè diſtribuantur, & interim cantentur in Choro ſequentes Hymni ſub unica concluſione: O Dive, qui das inclytum *pag.* 37. Per te Philippe promicant *pag.* 38. Tellus, & Aſtra dicite *pag.* 44. *ut in Feſto.*

Completa diſtributione dicitur.

℣. Ora pro nobis Beate Pater Philippe.

℞. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

DOmine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui abundantia pietatis tuæ, & merita ſupplicum, & vota excedens, Sancti Patris Philippi operibus ita benedixiſti, ut pauper leproſus ab eo Tunicam propriam accipiens, illamque induens ſtatim mundatus fuerit: reſpice propitius devotionem noſtram, quam in Panis ſanctificati diſtributione tibi, ac Beato Servo Mariæ Virginis Philippo exhibemus; & da, ut qui eum acceperunt, & impoſterum accipient, nihil fruſtrà, aut ſibi noxium poſtulent, ſed à cunctis mentis maculis, & corporis malis expurgentur, & plena tibi utriuſque ſervitute famulentur, tecumque ſine fine lætentur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. ℞. Amen. ℣. Dominus vobiſcum. ℞. Et cum ſpiritu tuo. ℣. Benedicamus Domino. ℞. Deo gratias. ℣. Divinum auxilium maneat ſemper vobiſcum. ℞. Amen.

Finita

Digitized by Google

Finita benedictione Sacerdos vadit cum Miniſtris ad credentiã, ibique depoſito Pluviali, & ſumpta caſula cum Miniſtris procedunt ad cantandam Miſſam.

RITUS

Utendi Pane benedicto Sancti Philippi Benitii pro quacumque neceſſitate.

Primò, qui hoc Pane uti voluerit Pater noſter, & Ave Maria *ter devotè recitabit, deindè ſequentem Antiphonam dicet.*

Salve Beate Philippe Florentiæ decus, lux, & forma Servorum Virginis, qui accepiſti ſtolam gloriæ conſummatione virtutis.

℣. Ora pro nobis Beate Philippe.

℞. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

Pietatem tuam, Domine, Beatus Philippus pro nobis exóret, ut ſicut Beatiſſimæ Genitricis Filii tui Mariæ Servus extitit in terris, ita nos, ſub tantæ Matris patrocinio ad te pervenire cupientes, eum vitæ noſtræ protectorem habere mereamur in Cœlis. Per eumdem, &c. ℞. Amen.

Deindè eum devotè ſumat, ſi pro infirmitate ſumit. Si verò pro aliis neceſſitatibus, ut naufragiis, incendiis, tempeſtatibus, fulgurum, &c. eum magna cum fide, reverentia, & devotione projiciat in undas, vel flammas, &c.

Qui modus pariter ſervandus eſt ſumendo aquam benedictam ejuſdem Sancti Philippi, vel utendo oleo lampadis ejus Altaris.

PIUS RITUS

Orandi, & imponendi Reliquias Sancti Philippi Benitii ſuper infantes.

Sacerdos ſuperpelliceo, & Stola violacei coloris indutus, & Sacris Reliquiis ſuper Altare cum luminibus decenter expoſitis, ſtans verſus puerum in cornu Epiſtolæ, dicit.

In nomine Patris, ✠ & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Potentia ✠ Dei Patris. Sapientia ✠ Dei Filii. Virtus ✠ Spiritus Sancti. Vera Deitas, una Trinitas liberet Puerum iſtum ab omnibus malis. ✠ Amen.

An-

Digitized by Google

Antiph. Ex ore infantium. *Pſalm.* Domine Dominus noſter. *pag.* 170. *dicatur totus cum* Gloria Patri, &c. *deindè dicatur ſequens Antiph.*

Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Deindè Sacerdos ſignando ſeipſum in fronte, ore, ac pectore, ſimiliter & puerum, dicat.

✠ Sequentia Sancti Euangelii ſecundùm Lucam.

℟. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore: loquente Jeſu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti. At ille dixit: Quin immò beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

℟. Laus tibi Chriſte.

Sacerdos imponat dexteram manum ſuper caput infantis, & dicat: Super ægros manus imponent, & benè habebunt. Jeſus Mariæ filius, mundi ſalus, & Dominus, meritis Sanctiſſimæ Virginis Matris tuæ, Beati Patris noſtri Philippi, & omnium Sanctorum, donet tibi ſanitatem, & gratiam, & ſit tibi clemens, & propitius. Amen.

℣. Eripe Domine puerum iſtum ab omni malo.

℟. A viro iniquo eripe eum.

℣. Eripe eum ab inimicis ſuis.

℟. Et ab inſurgentibur in eum libera eum.

℣. Eripe eum ab operantibus iniquitatem.

℟. Et de viris ſanguinum libera eum.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

JEſus Nazarenus Rex Judæorum, qui Verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis naſcens ex Maria Virgine, per ineffabilem pietatem, & miſericordiam ſuam piiſſimam, dignetur liberare, conſervare, atque defendere puerum iſtum ab omni infeſtatione Satanæ, & miniſtrorum ejus.

COncede hunc famulum tuum, quæſumus Domine Deus, perpetua mentis, & corporis ſanitate gaudere, & glorioſa Beatæ Mariæ ſemper virginis interceſſione, à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia.

Pie-

Digitized by Google

PIetatem tuam, quæſumus Domine, Beatus Philippus pro hoc parvulo exóret: ut ſicut Beatiſſimæ Genitricis Filii tui extitit humilis Servus in terris, ita apud te ſit pro eo perpetuus interceſſor in Cœlis. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Completis orationibus Reliquias Sancti Philippi cum ſigno Crucis ſuper infantem imponit.

Si fuerint plures pueri, preces, & orationes dicantur in numerò plurali. Et ſi fuerit fœmina dictio puerum *mutetur in dictionem* puellam.

Idem Ritus pro Infirmis adultis.

Sacerdos, cum ad locum infirmi pervenerit, ſuperpelliceo, & Stola violacei coloris indutus, & Sacris Reliquiis cum luminibus, in loco decenter præparato, poſitis, primò dicat:

℣. Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Mox infirmum, lectum ejus, cubiculum, & circumſtantes aſpergat aqua benedicta, dicens Antiph. Aſperges me, &c. *Poſtea dicat, quæ ſequuntur. Pſal.6.* Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua, &c. *pag.131. Et dicitur totus cum* Gloria. *Deindè* ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Signat ſeipſum, & infirmum in fronte, ore, ac pectore dicens:

✠ Sequentia Sancti Euangelii ſecundùm Matthæum.

℟. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore: Cum introiſſet Jeſus Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio rogans eum, & dicens: Domine, puer meus jacet in domo paraliticus, & malè torquetur. Et ait illi Jeſus: Ego veniam, & curabo eum. Et reſpondens Centurio ait: Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus; nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus habens ſub me milites, & dico huic: vade, & vadit; & alii: veni, & venit; & ſervo meo: fac hoc, & facit. Audiens Jeſus miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Iſrael. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Jacob in Regnô Cœlorum, filii autem Regni ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Et dixit Jeſus Centurioni: Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi, & ſanatus eſt puer in illa hora. ℟. Laus tibi Chriſte.

Digitized by Google

Pro fœmina loco ſupradicti poteſt dici ſequens Euang.

✠ Sequentia Sancti Euangelii ſecundùm Lucam.

℞. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore: Surgens Jeſus de Sinagoga introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & rogavérunt illum pro ea, & ſtans ſuper illam imperávit febri, & dimiſit illam, & continuò ſurgens miniſtrabat illis. Cùm autem Sol occidiſſet, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus ducebant illos ad Jeſum; at ille ſingulis manus imponens curabat eos. Exibant autem dæmonia à multis clamantia, & dicentia: quia tu es Chriſtus filius Dei. Et increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum. ℞. Laus tibi Chriſte.

Sacerdos imponens manum dexteram ſuper caput infirmi dicit.

Super ægros manus imponent, & benè habebunt. Jeſus Mariæ filius, mundi ſalus, & Dominus, ſit tibi clemens, & propitius, ac meritis Beatæ Mariæ ſemper virginis, & Beati Philippi interceſſione, te ab omni febre, & alia quavis infirmitate liberare dignetur, qui vivit, & regnat cum Deo Patre, & Spiritu Sancto in ſecula ſeculorum. Amen.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter, *ſecretò.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℞. Sed libera nos à malo.

℣. Salvum fac ſervum tuum.

℞. Deus meus ſperantem in te.

℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.

℞. Et de Sion tuere eum.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.

℞. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Eſto ei Domine turris fortitudinis.

℞. A facie inimici.

℣. Dominus opem ferat illi.

℞. Super lectum doloris ejus.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum. ℞. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere: ſuſcipe deprecationem noſtram; ut nos, & hunc famulum

Digitized by Google

lum tuum, quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat.

OMnipotens ſempiterne Deus, ſalus æterna credentium, exaudi nos pro famulo tuo infirmo, pro quo miſericordiæ tuæ imploramus auxilium, ut reddita ſibi ſanitate, gratiarum tibi in Eccleſia tua referat actiones.

DEus infirmitatis humanæ ſingulare præſidium, auxilii tui ſuper infirmum famulum tuum oſtende virtutem; ut ope miſericordiæ tuæ adjutus, Eccleſiæ tuæ ſanctæ incolumis repræſentari mereatur.

COncede, hunc famulum tuum, quæſumus Domine Deus, perpetua mentis, & corporis ſanitate gaudére, & glorioſa Beatæ Mariæ ſemper virginis interceſſione à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia.

OMnipotens, & miſericors Deus, qui ad mentes illuminandas, & corpora ſananda, tot mirabilia per glorioſæ Virginis Matris Unigeniti tui Servum Philippum operari dignaris: concede per ejuſdem merita, & interceſſionem, hunc nomini tuo fidelem infirmum, de ſalute mentis, & corporis ſibi conceſſa ita gaudére, quatenus poſt præſentem vitam, tui vultus gloria cum ipſo perfrui ſemper valeat. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Tandem poſt Orationes, Reliquias Sancti Philippi cum ſigno Crucis ſuper infirmum imponit.

RITUS

Servandus, & Preces dicendæ in Capitulo Generali, & Provinciali.

In Capitulo Generali.

Die præſtituta in Aurora cantetur ſolemniter Miſſa de Spiritu Sancto cum Gloria, & Credo, & ſecunda oratione de Sancta Maria, tertia de Divo Auguſtino, quarta de Sancto Patre noſtro Philippo, ut in Conſtitutionibus noſtris præſcribitur; qua abſoluta congregentur Patres in Capituli loco, ubi perlectis legendis, omnes genuflexi coram Imagine Beatæ Mariæ Virginis ſine cantu dicant Antiph. Salve Regina, &c. *Qua completa Reverendiſſimus P. Generalis dicit.*

℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.
Poſtea ſurgit, & dicit. *Oremus.*

OMnipotens ſempiterne Deus, qui glorioſæ Virginis Matris Mariæ corpus, & animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante, præparaſti: da, ut cujus commemoratione lætamur, ejus pia interceſſione, ab inſtantibus malis, & à morte perpetua liberemur. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Deindè recenſitis per Provinciales nominibus Fratrum noſtrorum illo ſexennio defunctorum, incipiente P. Generali fit pro eis ſequens abſolutio.

Antiph. Si iniquitates. *Pſalm.* De profundis, etc. *pag.* 210. *dicta in fine tota Antiphona P. Reverendiſſimus dicit:*

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Pater noſter. *ſecretò.*
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi.
℟. Erue Domine animas eorum.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.
Oremus.

ABſolve, quæſumus Domine, animas Fratrum noſtrorum defunctorum ab omni vinculo delictorum, ut in reſurrectionis gloria inter Sanctos, et Electos tuos reſuſcitati reſpirent. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

℣. Requiem æternam dona eis Domine.
℟. Et lux perpetua luceat eis.
℟. Requieſcant in pace. ℟. Amen.

Poſtea recenſitis nominibus benefactorum cujuslibet Provinciæ, dicitur pro eis Pſalm. 66.

DEus miſereatur noſtri, & benedicat nobis. * illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.
Ut cognoſcamus in terra viam tuam: * in omnibus gentibus ſalutare tuum.
Confiteantur tibi populi Deus: * confiteantur tibi populi omnes.
Lætentur, & exultent gentes: * quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

Con-

Digitized by Google

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: * terra dedit fructum ſuum.

Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus: * & metuant eum omnes fines terræ. Gloria, &c.

Reverendiſſimus poſtea dicat.

℣. Salvos fac ſervos tuos.

℟. Deus meus ſperantes in te.

℣. Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

PRotende Domine fidelibus tuis dexteram cœleſtis auxilii, ut te toto corde perquirant, & quæ dignè poſtulant conſequi mereantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Quibus completis Patres deveniunt ad electionem novi Generalis, juxtà præſcriptum Conſtitutionum.

Generali electo, ſtatim vocatur in Capitulum, ubi genuflexus coram primo Definitore generali, ante ſe Miſſale apertum habente, facit Fidei Catholicæ profeſſionem, ut ſequitur.

EGo Fr. N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in ſymbolo fidei, quo Sancta Romana Eccleſia utitur, videlicet. Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem Cœli, & terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium: Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt; Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis: Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt: Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt; Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas, & aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris, & iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre, & filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam: Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum; Et expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſeculi. Amen. Apoſtolicas, & Ecle-

cleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector. Item, Sanctam Scripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum admitto, nec eam umquam, niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta novæ Legis à Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre; et ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter, in Miſſa offerri Deo, verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro vivis, & defunctis, atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem unà cum Anima, & Divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam converſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie, totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari. Similiter & Sanctos unà cum Chriſto regnantes, venerandos, atque invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiſſimè aſſero, Imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum ſanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco; Romano-

Digitized by Google

manoque Pontifici, Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac juro. Cætera item omnia à Sacris Canonibus, & Œcumenicis Conciliis, ac præcipuè à Sacroſanctâ Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor; ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſpontè profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & inviolatam, uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè (Deo adjuvante) retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum. Ego idem Fr. N. ſpondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Hic tangit, & oſculatur Evangelium ſuper Miſſale.

Deinde adhuc genuflexus coram eodem Definitore Generali immediatè dicit.

EGo Fr. N. præſto juramentum, quod fidelis ero Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Sanctiſſimo Domino noſtro Papæ, ejuſque ſucceſſoribus canonicè intrantibus, quodque in proviſionibus, promotionibus, confirmationibus, repulſionibus, deſtitutionibus, & majoribus correctionibus faciendis, ſine acceptione perſonarum, ſecundum Deum, & rectam conſcientiam meam, & Beati Auguſtini Regulam, & Ordinis Conſtitutiones, ac laudabiles conſuetudines illis non adverſas, benè, & ſollicitè me habebo, & meum officium fideliter exercebo. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

Et deinde tangit Evangelium in Miſſali, & oſculatur ut ſupra. Poſtea ſurgit, illique mox primus Definitor ſigillum, & librum Conſtitutionum conſignat, & eum in primum locum ponit, illique per manus oſculum obedientiam præſtat. Quo facto ſinguli ſimiliter vocales per manus oſculum eidem obedientiam præſtabunt. Deinde cantetur Hymnus Te Deum laudamus &c. *& ad Eccleſiam procedant omnes proceſſionaliter, & Eccleſiam ingreſſi fratres omnes, hinc inde duas alas faciant, & P. Generalis genuflectit ſuper genuflexorio cum tapeto, dum dicitur* Te ergo

Digitized by Google

go &c., *quo dicto aſcendit ad Altare & ſumit Stolam albam, & denuò deſcendens ſtat ante Altare uſque ad finem, Hymnoque finito, & dicto per Cantores.*

℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.

℞. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Ipſe Reverendiſſimus dicit. Oremus. *Oratio.*

CONcede nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus, perpetua mentis, & corporis ſanitate gaudere, & glorioſa beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſione, à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia.

ADeſto ſupplicationibus noſtris, omnipotens Deus; & quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges, intercedente beato Auguſtino confeſſore tuo, atque Pontifice conſuetæ miſericordiæ tribue benignus effectum.

DEus fidelium ſervorum dominator, & cuſtos, qui per beatum Philippum ſervorum Mariæ honorabile nomen illuſtraſti: concede nobis famulis tuis, ut ejus patrocinio, ſic tibi, tuæque Genitrici ſerviamus in terris, ut regnare cum ipſo mereamur in cœlis. Qui vivis, & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

Obſervandum eſt, quod ſi aderit vel Eminentiſſimus Protector Religionis, vel alius S. R. E. Cardinalis, tanquam Præſes Capituli, ſive aliquis Prælatus de mandato Sanctiſſimi, loca pro ipſo, & pro Reverendiſſimo Generali, tam in Eccleſia, quam in Conventu, ornanda & diſponenda erunt ad nutum Miniſtri Cæremoniarum ipſius Prælati.

Poſt tres dies electo Procuratore Generali, terminatiſque actionibus Capitularibus, iterum cantando Hymnum Te Deum *procedunt omnes proceſſionaliter ad Eccleſiam ut ſupra. Dicto* Te ergo &c. *Reverendiſſimus P. Generalis accedit ad Altare, & accepta Stola rubei coloris dicit in tono feriali.*

℣. Non nobis Domine, non nobis.

℞. Sed nomini tuo da gloriam.

℣. Dominus vobiſcum.

℞. Et cum Spiritu tuo. Oremus. *Oratio.*

DEus, cujus miſericordiæ non eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt theſaurus, piiſſimæ majeſtati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam ſemper clementiam exorantes: ut, qui petentibus poſtulata concedis, eoſdem non deſerens ad præmia futura diſponas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℞. Amen.

Poſtea,

Digitized by Google

Poſtea, cum eadem Stola aſcendit ad ſedem poſitam ſuper Bradelam à cornu Evangelii, & ſtatim fratres omnes genuflexi faciunt Confeſſionem, qua completa P. Generalis ſurgit, & dat eis abſolutionem, ut infra de abſolutionibus, injungitque ſingulis Sacerdotibus tres miſſas, primam de Spiritu Sancto pro felici ſtatu, & conſervatione SS. D. N. Papæ, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ; ſecundam de S. Maria pro Religionis incremento; tertiam pro Fratribus, & benefactoribus defunctis; qui autem de Sacerdotibus legitimè impediti non poterunt celebrare prædictas tres Miſſas, ter Pſalmos Graduales recitent.

Poſtremò fratres omnes incipiendo à dignioribus obedientiam præſtant Generali, quos ipſe recipit Sacerdotes quidem ad manus, reliquos vero ad habitus oſculum.

In Capitulo Provinciali.

Die Capituli adveniente, in aurora dicatur Miſſa de Spiritu Sancto, cui interſint omnes vocales, qua finita congregantur in locum Capituli. Ubi legenda leguntur, fit commemoratio fratrum in provincia elapſo triennio defunctorum, & benefactorum viventium, ut ſupra in Capitulo Generali, aliaque ad præſcriptum Conſtitutionum peraguntur. Electis autem Definitoribus, Provinciali. & Socio, ac ſigno Crucis à Generali, vel ejus Vicario præſidente confirmatis, ſtatim genuflexi jurabunt in manibus ipſius Generalis habentis ante ſe Miſſale apertum juxta hanc formam. Et præcipuè Provincialis, nomine aliorum.

EGo Frater N. nomine meo, & Sociorum juro me acturum ſecundum Deum, & conſcientiam in judicandis cauſis, & in officialibus eligendis, & in aliis, quæ cognovero ad animarum ſalutem, & profectum Provinciæ pertinere, omni humano affectu poſtpoſito. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

Et ſtatim tangit, & oſculatur Evangelium in Miſſali. Quod ſimiliter facit quilibet cæterorum, repetendo: Sic me Deus adjuvet &c., *tangendo, & deoſculando &c.*

Completo Capitulo, ejuſque actis publicatis, intonatur Hymnus. Te Deum laudamus &c., *& pergitur ad Eccleſiam, eodem ordine, ſuperiùs adnotato in fine Capituli Generalis pag.231. Generalis aſcendit ad ſuam ſedem in cornu Evangelii, & ante ipſũ genuflexis omnibus electis, Prior Provincialis facit Profeſſionem Fidei Orthodoxæ nomine etiam cæterorum, dicendo* Ego Fr.

Digitized by Google

Fr. N. nomine meo, & Sociorum firma fide &c. *ut ſup. p. 229.* *Similiter in fine præſtito juramento à Provinciali, quilibet reliquorum jurat repetendo illa verba* Ego Fr. N. ſpondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc Sancta Dei Evangelia; *tuncque tangit, deoſculaturque Evangelium.*

Facta fidei profeſſione omnes genuflectunt excepto Generali, vel ejus Vicario præſidente, & ante ipſum faciunt Confeſſionem, qua completa Generalis abſolvit, ut infra de abſolutionibus, & imponit celebrationem Miſſarum, ut ſupra in Capitulo Generali pag. 249.

In Capitulo Conventuali.

Quamvis Capitulum Conventuale congregetur ſæpiſſimè, bis tamen ſolummodo invocatur auxilium Spiritus Sancti, hoc eſt, in electionibus Officialium Conventus, & Diſcretorum ad Capitulum Provinciale mittendorum; Unde in his duobus caſibus, perlectis perlegendis, ut in Conſtit., dicitur ab omnibus genuflexis.

Hymnus.

Veni Creator Spiritus,
Mentes tuorum viſita,
Imple ſuperna gratia,
Quæ tu creaſti pectora.
Qui diceris Paraclitus,
Altiſſimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, Charitas,
Et ſpiritalis unctio.
Tu ſeptiformis munere,
Digitus Paternæ Dexteræ,
Tu ritè promiſſum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen ſenſibus,
Infunde amorem cordibus
Infirma noſtri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hoſtem repellas longius,
Pacemque dones protinus:
Ductore ſic te prævio
Vitemus omne noxium.
Per te ſciamus da Patrem,
Noſcamus atque Filium,
Teque utriuſque Spiritum
Credamus omni tempore.
Deo Patri ſit gloria,
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In ſecula ſeculorum. Amen.

Deinde Superior dicit.

℣. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terræ. Oremus. *Oratio.*

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

RITUS

Digitized by Google

RITUS
Dicendi ſuas culpas feria ſexta.

Qualibet feria ſexta, niſi juſta cauſa impediente, poſt Completorium immediatè Fratres omnes præcedentibus Ceroferariis cum Candelis accenſis proceſſionaliter pergunt ad Capitulum, ubi genuflectunt in propriis locis, & qui Prior erit Conventualis pariter genuflexus incipit Pſalmū Deus miſereatur noſtri &c. *pag.228., quem Fratres alternatim proſequuntur, quo finito, & dicto.* Gloria Patri &c. *Prælatus dicit.*

℣. Domine, non ſecundum peccata noſtra facias nobis.
℟. Neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis.
℣. Memento Congregationis tuæ.
℟. Quam poſſediſti ab initio.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat. *Deinde ſurgens dicit.*
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo. *Oratio.*

DEus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris: preces ſervorum Genitricis tuæ, ſemperque Virginis Mariæ ſupplicantium propitius reſpice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur averte.

COncede, nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus, perpetua mentis, & corporis ſanitate gaudere, & glorioſa beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſione à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia.

DEus fidelium ſervorum dominator, & cuſtos; qui per beatum Philippum, ſervorum Mariæ honorabile nomen illuſtraſti: concede nobis famulis tuis, ut ejus patrocinio, ſic tibi, tuæque Genitrici ſerviamus in terris, ut regnare cum ipſo mereamur in cœlis. Qui vivis, & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

Quibus dictis omnes ſedent, & Prior in ſua ſede Fratres omnes recipit ad ſuas culpas dicendas hoc ordine. Primo unus ex Novitiis, ſi adſint, ſecundo unus ex Converſis, tertio unus ex Clericis Profeſſis, & ultimo loco unus ex Sacerdotibus genuflexus in medio Capituli dicit ſuas culpas præcipuè de negligentiis, & omiſſionibus commiſſis, poſtulans veniam, & pœniten-

Digitized by Google

nitentiam à Priore. Cum vero Novitius dicit ſuas culpas, omnes Novitii genua flectunt; & ſimiliter cum Converſus, vel Profeſſus culpas dicit, omnes Converſi, vel Profeſſi genuflectunt.

Quando vero Sacerdos dicit culpas. omnes Sacerdotes genua flectunt, cæteris omnibus una cum Priore ſtantibus. Prior poſtquam cuilibet dicenti ſuas culpas impoſuerit ſalutarem pœnitentiam ab ipſo, ejuſque ſociis perſolvendam, ipſeque terram deoſculatus fuerit, illum genuflexum ad extremitatis habitus oſculum recipit, excepto Sacerdote, quem ad manus oſculum ſtans idem Prior excipiet.

Quibus omnibus expletis, Prælatus ſi quid habet monendum, emendandum, corrigendumque, faciat; habitoque, ſuper obſervantia regulari, ſermone, eorumque orationibus ſtatum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, Summum Pontificem, Eminentiſs. Protectorem, Generalem, Procuratorem Ordinis, Provincialem, omnes totius Orbis Principes, Fratrum defunctorum animas, Religioniſque benefactores vivos, & mortuos commendando, ſurgit & ſigno Crucis omnes dimittit.

RITUS
Benedicendi Menſam.

In Benedictione Menſæ omnia ſerventur, quæ in fine Breviarii Romani ponuntur, excepto quod in fine benedictionis ſemper dicetur à lectore in tono lectionis. Ave Maria gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Jeſus. *Et in fine gratiarum actionis dicetur Antiph.* Salve Regina &c. *cum* ℣., *& oratione conſueta. Excepto tamen triduo Hebdomadæ Sanctæ, in quo tam in benedictione, quam in gratiarum actione omnia ſervantur adamuſſim, quæ in Breviario ponuntur.*

Notandum primo, quod poſt orationem, quæ dicitur poſt Antiph. Salve Regina, *Sacerdos debet ſemper dicere verſiculum* Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace. ℟. Amen.

Notandum ſecundo, quod poſt ℣. Fidelium animæ &c. *Superior, vel ejus Vicarius, ſeu ipſis abſentibus, dignior ex Patribus, facta ſibi reverentia profunda ab hebdomadario debet dicere.*

℣. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum.

℟. Bene-

℞. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Jeſus.
℣. Deus det nobis ſuam pacem.
℞. Et vitam æternam amen.
Et hi verſus numquam omittuntur: ita quod, ſi Prelatus eos dicere nolit ob reverentiam, vel honorem erga aliquem ſuperiorem Hoſpitem, Hebdomadarius, annuente ſibi prælato, dicet prædictos verſus. Ave Maria &c.

RITUS
Recipiendi Generalem in primo ſuo acceſſu ad aliquem Conventum.

Cum P. Generalis fuerit Eccleſiæ vicinus Fratres omnes cum Cappa ad Eccleſiæ januam hoc ordine proceſſionaliter ſe conferant. Præcedant duo Acolyti cum aqua benedicta, & incenſo; Sequantur Ceroferarii cum candelis accenſis, deinde Sacerdos pluviali albo indutus Crucem ſine aſta in manibus deferens, poſtea Fratres omnes incipiendo à dignioribus, qui conſiſtant hinc inde in duas alas. Cum P. Generalis, Cappa ſimiliter indutus pervenerit ante portam Eccleſiæ, ſuper pulvinum ibi in medio ſtrati paratum genuflectit, & facta reverentia Cruci ſibi à Sacerdote Pluviali parato oblatæ ipſam deoſculatur. Mox ſurgens, remoto pulvino ingreditur Eccleſiam, & Sacerdos depoſita Cruce, porrigit ei aſperſorium, quo ipſe aſpergit ſe, deinde aſtantes incipiendo à dignioribus. Sacerdos accepto aſperſorio, & uni ex Acolytis conſignato miniſtrat incenſum P. Generali, dicendo: Benedicite Reverendiſſime Pater: *& ipſe ponit incenſum in thuribulo benedicens de more, ac ter à Sacerdote incenſatur. Quo facto ſtatim intonatur Hym.* Te Deum laudamus, *& Sacerdos aſſumpta Cruce, præcedentibus Acolytis, & Ceroferariis pergit ad Altare SS. Sacramenti, ſi fuerit diverſum à majore, & inde poſt factam orationem, ad Altare majus, ſequentibus Fratribus binis, & binis ordine ſupradicto, quorum primi duo digniores comitantur P. Generalem in medio receptum uſque ad genuflexorium ante Altare majus, ibique genuflectit uſque ad ultimum. Sacerdos paratus, depoſita Cruce ſuper Credentiam, remanet in plano Cappellæ à cornu Epiſtolæ medius inter Acolytos; & Ceroferarii*

Digitized by Google

rarii ſiſtunt ante Altare invicem verſi. Finito Hymno, Sacerdos aſcendit ad Altare in eodem cornu Epiſtolæ, & aliquantulum verſus Generalem genuflexum dicit in tono feriali.

℣. Salvum fac ſervum tuum.
℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia magna ſolus, protende ſuper hunc famulum tuum N. Generalem noſtrum, & cunctas Congregationes illi commiſſas, ſpiritum gratiæ ſalutaris, &, ut in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus.

COncede nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus, perpetua mentis, & corporis ſanitate gaudére, & glorioſa Beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſione, à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia.

DEus fidelium Servorum Dominator, & cuſtos, qui per Beatum Philippum Servorum Mariæ honorabile nomen illuſtraſti: concede nobis famulis tuis, ut ejus patrocinio, ſic tibi, tuæque Genitrici ſerviamus in terris, & regnare cum ipſo mereamur in Cœlis. Qui vivis, & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

Poſt orationem ſurgit Generalis, & aſcendit ad ſedem in cornu Evangelii ſibi præparatam, ac recipit Fratres omnes ad præſtandam ſibi obedientiam, Sacerdotes quidem ad manus, cæteros verò ad extremitatis habitus oſculum. Peracto tandem obedientiæ ſigno, Fratres omnes comitantur ad cellam Reverendiſſimum Patrem Generalem.

RITUS

Digitized by Google

RITUS
Induendi Ordinis noſtri Novitios.

Hora competenti in Eccleſia, vel Capitulo, ſeu privato Oratorio, prout perſonæ, vel temporis exigentia poſtulaverint, & Prælato expedire videbitur, præparentur per ordinem veſtes in medio Altaris, unà cum Breviario, & parva Cruce. Deinde congregatis ibidem Fratribus, Novitius genuflexus ante Altare in medio Capituli, ſeu Cappellæ, à Prælato ſtola congruentis coloris induto, ſuper ſedem in cornu Euangelii ad Altare ſedente, interrogabitur, eodem Novitio ſequenti modo reſpondente.

Prælatus.

Fili, quid poſtulas à nobis?

Novitius.

Habitum, & conſortium Servorum Beatæ Mariæ Virginis.

Prælatus.

Paratus es obſervare mandata, ac præcepta noſtrorum Patrum, & Conſtitutionum?

Novitius.

Auxiliante gratia Dei paratus ſum.

Prælatus.

Abrenunciasne ſeculo, & omnibus pompis ejus?

Novitius ſecularia exuens ornamenta reſpondeat.

Omnem ornatum ſeculi contempſi propter amorem Domini mei Jeſu Chriſti.

Prælatus reſpondeat.

Deo gratias.

Deindè Prælatus ſurgens dicat.

Oremus Fratres Dominum Deum, ut huic famulo ſuo gratiam ſuam perennem infundat.

Poſtea genuflexus intonet hymnum Veni Creator Spiritus, &c. *ut ſupra pag.234. quo finito Prælatus dicit in tono feriali, vel abſque cantu, ut videbitur.*

℣. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terræ.
℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.
℟. Et ſalutare tuum da nobis.
℣. Salvum fac ſervum tuum Domine.

℟. Deus

Digitized by Google

℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tue[redacted] eum.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate ejusdem Spiritus, &c. Amen.

Oremus.

INterveniat pro nobis, quæſumus Domine Jeſu Chriſte, nunc, & in hora mortis noſtræ apud tuam clementiam Beata Virgo Maria Mater tua, cujus ſacratiſſimam animam in hora tuæ paſſionis doloris gladius pertranſivit, Qui vivis, & regnas, &c.

DEus, qui renunciantibus ſeculo manſiones paras in Cœlis: dilata cor hujus famuli tui cœleſtibus donis, ut fraterna nobiscum teneatur compagine charitatis: unánimis, conſtans, ſobrius, ſimplex, & quietus regularia Sanctorum Patrum inſtituta cuſtodiat, & ad eum, quem, te inſpirante, perfectionis ſpiritum concepit, te adjuvante perveniat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Prælatus iterum ſedet, ad quem accedens Novitius induitur Religioſis veſtibus ab eo dicente ſine benedictione.

Ad Tunicam.

Exutus veterem hominem cum omnibus actibus ſuis induat te Dominus novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis.

Ad Cingulum.

Accipe corrigiam ſuper lumbos tuos, ut ſint præcincti in ſignum caſtitatis, & temperantiæ.

Ad Habitum, ſive Patientiam.

Leviſſimum ſalutaris obedientiæ jugum, fili cariſſime, ſuper humeros tuos impono, ſingulare ſignum habitus Servorum Beatæ Mariæ Virginis, auxilio cujus ſpontaneum ſacrificium propriæ voluntatis offers omnipotenti Deo.

Ad

Digitized by Google

Ad Cappam.

Accipe Clamydem nigram totum corpus tegentem in ſignum pœnitentiæ, & mortificationis, ut mortuus mundo, Deo, ejusque Sanctiſſimæ Matri perpetuò vivas.

Ad Caputium.

Accipe operimentum capitis in ſignum humilitatis, & modeſtiæ, ſuperbis enim Deus reſiſtit, humilibus autē dat gratiā.

Ad Breviarium.

Accipe Breviarium in manibus tuis, ut more contemplantium, felicitate terrena contempta, ad cœleſtem tota mente contendas.

Ad Crucem.

Suſcipe, fili chariſſime, memoriam Dominicæ paſſionis, quam ſemper in corde tuo retineas, & in ipſa dolores filii contemplans non immemor etiam dolorum Matris exiſtas. Quibus laus, & honor in ſecula ſeculorum. Amen.

Si fuerit Converſus, loco Breviarii detur ei Corona Septem Dolorum, dicendo:

Accipe, chariſſime Frater, ſignum orationis ſimul, & contemplationis, ut in laboribus tuæ vitæ activæ, conſolationibus contemplativæ gaudeas.

Deindè Novitius conſignatis Breviario, & Cruce in manu Magiſtri Novitiorum, remanet genuflexus in medio Cappellæ, ad quem Prælatus habebit ſermonem de vitæ religioſæ profeſſu, ac perfectione, eique nomen imponet. Poſtea intonatur Hymnus Te Deum, *quo completo Prælatus verſus aliquantulum ad Novitium dicit.*

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
℟. A templo ſancto tuo, quod eſt in Jeruſalem.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & hunc famulum tuum, cui in tuo nomine habitum Religionis Servorum Beatæ Mariæ Virginis unigeniti Filii tui Genitricis impoſuimus, bene ✝ dicere dignare; ut te largiente, & devotè in eo perſiſtere, & vitam percipere mereatur æternam. Per eumdem, &c.

Tandem Novitius deoſculata extremitate habitus Prælati,

Digitized by Google

aliorumque Superiorum, ſi adſint, recipiatur ab omnibus Religioſis tanquam Frater ad pacis oſculum.

RITVS
Imponendi Habitum noſtrum Sororibus Tertiariis.

Præparatis veſtibus ſuper Altare Societatis Septem Dolorum Beatæ Mariæ Virginis, induenda genuflexa ante Patrem Correctorem in cornu Epiſtolæ ſedentem dicit totum Confiteor Deo omnipotenti, &c. *Quo completo Corrector ſurgit, & dicit:* Miſereatur tui, &c. Indulgentiam, &c. *Deindè ſe convertit ad benedicenda veſtimenta, dicendo:*

℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.
℟. Et ſalutare tuum da nobis.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Benedictio Cinguli.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui pietatis tuæ miſericordiam quærentibus, & veniam peccatoribus tribuiſti, oramus immenſam clementiam tuam, ut hanc Corrigiam bene ✝ dicere, & ſancti ✝ ficare digneris, ut quæcumque lumbos ſuos ad evitandam concupiſcentiam ex ea præcincta fuerit, continentiam perpetuam, & miſericordiam conſequatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Benedictio Velaminis.

Oremus.

QUæſumus omnipotens Deus, ut Velamina iſta famulæ tuæ capiti ſuo imponenda bene ✝ dicere digneris, quatenus in eis ros tuæ benignitatis deſcendat, & ſint hæc Velamina ſuper caput ipſius honeſtas, humilitas, & ſanitas cum omni benedictione Dei Patris, ✝ & Filii, & Spiritus Sancti, per merita Beatiſſimæ ſemper Virginis Mariæ. Amen.

Benedictio Tunicæ, Habitus, & Clamydis.

Oremus.

DOmine Jeſu Chriſte, qui tegmen noſtræ mortalitatis induere dignatus es; immenſam tuæ largitatis abundantiam obſecramus, ut hoc genus veſtimentorum, quod Sancti Patres noſtri ad innocentiæ, humilitatis, & patientiæ indicium,

Digitized by Google

cium, Beatiſſima Virgine id ſibi divinitùs ſuggerente, ferre ſanxérunt, ita bene ✝ dicere digneris, ut hæc famula tua, quæ illis corpore induta fuerit, mente pariter, ac animo induat te Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum. Amen.

Benedictio Coronæ Septem Dolorum Beatæ Mariæ, & Libri Officii ejuſdem.

Oremus.

DOmine Jeſu Chriſte Fili Dei vivi, qui diſcipulos tuos orare docuiſti, ſuſcipe quæſumus orationes famulæ tuæ, quæ cum tua benedi ✝ ctione à te ſemper incipiant, & per te cœptæ finiantur. Qui vivis, & regnas Deus in ſecula ſeculorum. Amen.

Deindè aſperguntur aqua benedicta ter veſtimenta, & ſemel induenda: quæ genuflexa ante Correctorem ſedentem exuitur veſtimentis, ſeu ornamentis ſecularibus, dicendo:

Exuat te Dominus, chariſſima ſoror, veterem hominem cum actibus ſuis, ut renovéris ſpiritu mentis tuæ, & induáris novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Amen.

Ad collationem Tunicæ.

Accipe, chariſſima ſoror, talarem tunicam in ſignum gravitatis, & modeſtiæ. Amen.

Ad Cingulum.

Accipe Corrigiam ſuper lumbos tuos, ut ſint lumbi tui præcincti in ſignum caſtitatis, & temperantiæ. Amen.

Ad Patientiam, ſive Habitum.

Accipe Habitum munditiæ, & humilitatis, ut ita induta obſerves ea, quæ regularibus inſtitutis, & majorum præceptis mandantur. Amen.

Ad Clamydem.

Accipe Clamydem nigram in ſignum pœnitentiæ, & mortificationis, ut mortua mundo, Deo, ejuſque Sanctiſſimæ Matri perpetuò vivas. Amen.

Ad Velamina.

Accipe Velamina candida cœleſti benedictione reſperſa in ſignum innocentiæ ad operiendam umbratilem capitis, pectoriſque tui venuſtatem, atque ad æterni decóris ſpeciem jucundiſſimam conſequendam. Amen.

Ad Coronam, & Librum.

Accipe ſignum orationum in manibus tuis, ut more contem-

Digitized by Google

plantium præſentem vitam habeas in patientia, atque futuram gloriam quærens, ſpreto mundo, cupias diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.

Ad traditionem Candelæ accenſæ.

Accipe Lucernam ardentem in manibus tuis de bonis operibus exempla demonſtrans, Deoque perpetuò benedicens, qui fecit tecum miſericordiam ſuam. Amen.

Deindè Correctior genuflexus intonat Hymnum: Veni Creator Spiritus, &c. *cum* ℣℣. *& orationibus ſupra pag.* 234. *Quibus dictis Soror deponit candelam accenſam, & Correctior ſedens poterit brevem ad illam habere ſermonem de profeſtu vitæ religioſæ, ac illi nomen novum imponere, ſi ipſa velit. Quo facto, Correctior ſurgens, & manum dexteram ſuper caput Sororis noviter indutæ imponens dicit:*

Dominus, qui incœpit in te opus bonum, ipſe perficiat ad augendam in te ſuæ largitatis gratiam, & ad honorem Beatæ Mariæ Virginis, cujus mœroris habitum geris, & ego auctoritate Reverendiſſimi Patris Prioris Generalis Servorum Sanctæ Mariæ, necnon Apoſtolico in hac parte Indulto te cariſſimam Sororem N. in nomine Domini ſuſcipio, & accepto, atque omnium bonorum, quæ per totum hunc Ordinem noſtrum fient impoſterum, participē te conſtituo. In nomine Dei ✠ Patris omnipotentis, qui per æterna ſecula vivit, & regnat. Amen.

RITUS
Imponendi Habitum noſtrum ſecularibus.

Correctior ſuperpellicœo, & ſtola violacei coloris indutus, accedit ad Altare Societatis, & versùs aliquantulum induendum coram ſe genuflexum dicit:

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum, & terram.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus:

Omnipotens ſempiterne Deus, qui morte Unigeniti tui mundum collapſum reſtaurare dignatus es, ut nos à morte æterna liberares, & ad gaudia regni cœleſtis perduceres: reſpice quæſumus ſuper hanc familiam Servorum tuorum

Digitized by Google

rum in nomine Beatiſſimæ Virginis Matris tuæ Septem Doloribus ſauciæ congregatam, de cujus gremio hic famulus tuus eſſe cupit, ut augeatur numerus tibi fideliter ſervientium, ut omnibus ſeculi,& carnis perturbationibus liberatus, & à laqueis diaboli ſecurus, interceſſione ejusdem Beatæ Mariæ virginis,& Beatorum Auguſtini,& Philippi,ac ſeptem noſtrorum Beatorum Patrum Ordinis noſtri Fundatorum vera gaudia poſſideat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Completa oratione vertit ſe ad benedicendum Habitum ſuper Altare poſitum dicens:

Oremus.

DOmine Jeſu Chriſte, qui tegmen noſtræ mortalitatis induere dignatus es, obſecramus immenſam largitatis tuæ abundantiam, ut hoc genus veſtimentorum, quod Sancti Patres ad innocentiæ, humilitatisque indicium in memoriam Septem Dolorum Beatæ Virginis Mariæ nos ferre ſanxerunt; ita bene ✝ dicere digneris, ut qui illis fuerit indutus corpore pariter, ac animo induat te Salvatorem noſtrum. Qui vivis, & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

Deindè aſpergit aqua benedicta, dicens: Aſperges me, &c.

Poſtea benedicit Coronam Septem Dolorum B.M.V. dicens:

Oremus.

OMnipotens, & miſericors Deus, qui propter nimiam charitatem, qua dilexiſti nos, Filium tuum unigenitum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum pro redemptione noſtra de cœlis ad terram deſcendere, carnem ſuſcipere, & Crucis tormentum ſubire voluiſti: obſecramus immenſam Clementiam tuam, ut hanc Coronam in memoriam Septem Dolorum Genitricis Filii tui ab Eccleſia tua fideli dicatam, bene ✝ dicas, ſancti ✝ fices, & ei tantam Spiritus Sancti virtutem infundas: ut quicumque eam recitaverit, ac ſecum portaverit, atque in domo ſua reverenter tenuerit, ab omni hoſte viſibili, & inviſibili, ſemper, & ubique in hoc ſeculo liberetur, & in exitu ſuo tibi bonis operibus coronatus præſentari mereatur. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Deindè eam aſpergit aqua benedicta, &c.

Dum Habitum imponit, dicit.

Accipe, chariſſime Frater, Habitum Beatæ Mariæ Virginis, ſingulare ſignum Servorum tuorum in memoriam Septem

Digitized by Google

Dolorum, quos ipſa in vita, & morte unigeniti Filii ſui ſuſtinuit, ut ita indutus ſub ejus patrocinio perpetuò vivas. Amen.

Poſtea Coronam porrigit dicens.

Accipe Coronam Beatæ Mariæ Virginis in memoriam Septem Dolorum ſuorum contextam, ut dum eam ore laudaveris, ejus pœnas toto corde compatiaris. Amen.

Deindè ipſum benedicit dicens.

Benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ✠ deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. Amen.

Si fuerit fœmina dicantur omnia in genere fœmineo, & ubi dicitur Chariſſime Frater: *dicatur* Chariſſima Soror. *Si autem fuerint plures, dicantur in numero plurali.*

RITUS
Emittendi Profeſſionem à Novitiis noſtri Ordinis.

Nouitius integro Religionis habitu indutus, & aſſociatus, à ſuo Magiſtro ducetur coram Patribus, Notario, & Teſtibus, qui genuflectit in medio Capituli, ſeu Cappellæ, ac terram oſculatur, & poſtea aſcendit ad ſupremum gradum Altaris in cornu Epiſtolæ, & oſculatur extremitatem habitus Prælati ibidem ſedentis; & ſtatim Prælatus adjuuante Magiſtro Nouitiorum, illum exuit omnibus veſtimentis Religioſis, quæ collocantur in medio Altaris, deindè dicit:

Chariſſime fili modò exutus es Habitu Sanctæ Religionis; abire potes, elige quod vis.

Tunc Novitius ſi velit profiteri ℟.

Elegi abjectus eſſe in Domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Prælatus.

Benedictus ſis à Domino, quia bonam partem elegiſti, quæ à te non auferetur.

Poſtea Prælatus ſurgit, & genuflexus intonat Hymnum Veni Creator Spiritus, &c. *ut ſupra pag.234. quo finito benedicit veſtes dicens in tono feriali.*

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum, & terram.

℣. Do-

Digitized by Google

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui morte unigeniti Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti mundum collapſum reſtaurare dignatus es, ut nos à morte æterna liberares, & ad gaudia regni cœleſtis perduceres: reſpice, quæſumus, hanc familiam in tuo nomine congregatam, de cujus gremio hic famulus tuus eſſe cupit, ut augeatur numerus tibi fideliter ſervientium, ut omnibus ſeculi, & carnis perturbationibus liberatus, & à laqueis diaboli ſecurus, interceſſione Beatæ Mariæ virginis, & Sanctorum Auguſtini, Philippi, & ſeptem Beatorum noſtrorum Patrum Fundatorum noſtri Ordinis vera gaudia poſſideat. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

DOmine Jeſu Chriſte, qui tegmen noſtræ mortalitatis induere dignatus es, obſecramus immenſam largitatis tuæ abundantiam, ut hoc genus veſtimentorum, quod ſancti patres noſtri ad innocentiæ humilitatiſque indicium in memoriam Septem Dolorum beatæ Virginis Mariæ nos ferre ſanxerunt, ita benedi✠cere digneris, ut hic famulus tuus illis indutus, corpore pariter ac animo induat te Salvatorem noſtrum. Qui vivis, & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

Deinde aſpergit illa aqua benedicta, dicendo Aſperges me &c.

Veſtibus benedictis ſedet iterum Prælatus, & Magiſter Novitiorum acceptis ſucceſſivè veſtibus de Altari porrigit ea Prælato, qui novitio imponit dicens.

Ad Tunicam.

Accipe chariſſime Frater talarem Tunicam in ſignum gravitatis, & modeſtiæ.

Ad Cingulum.

Accipe Cingulum lumborum in ſignum caſtitatis, & obedientiæ, jam enim ambulabas quò volebas, nunc autem præcinctum alius ducet te, quò non vis.

Ad Habitum ſeu Patientiam.

Accipe Habitum munditiæ ſingulare ſignum ſervorum beatæ Mariæ Virginis, auxilio cujus ſpontaneum ſacrificium propriæ voluntatis offers omnipotenti Deo.

Ad Cappam.

Accipe Clamydem nigram totum corpus tegentem in ſignum pœni-

Digitized by Google

pœnitentiæ, & mortificationis, ut mortuus mundo, Deo, ejuſque ſanctiſſimæ Matri perpetuò vivas.

Ad Caputium.

Accipe operimentum capitis in ſignum humilitatis, ut ita indutus obſerves ea, quæ regularibus, & majorum præceptis mandantur. *Ad Breviarium.*

Accipe Breviarium orationis quotidianæ ſignaculum, ut more contemplantium tota mente ad cœleſtia contendas.

Si fuerit Converſus, loco Breviarii tradit ei Coronam dicens.

Accipe Coronam beatæ Mariæ Virginis in memoriam Septem dolorum ſuorum contextam, ut dum eam ore laudaveris, ejus pœnas toto corde compatiaris.

Poſtea Novitius facit profeſſionem Fidei, ut ſupra pag.229. & in fine tangit manibus, & oſculatur ſancta Evangelia ſibi à Prælato oblata, ut ibidem notatur.

Deinde immediatè facit Profeſſionem in Religione per hæc verba.

EGo Frater N. filius N. in ſeculo vocatus N. qui detuli habitum Novitiorum in ordine ſervorum beatæ Mariæ Virginis per annum integrum jam natus annum N., non vi, nec metu, aut ullo errore ductus, ſed ſponte libera, & ex certa ſcientia facio Profeſſionem, & promitto Deo omnipotenti, & beatæ Mariæ, & tibi *Admodum Reverendo Patri Priori Conventuali*, nomine, & vice Prioris Generalis Fratrum Servorum, & ſucceſſoribus tuis ſervare Obedientiam, & Caſtitatem, & vivere ſine proprio, & ſecundum Regulam beati Auguſtini, & Conſtitutionem Servorum beatæ Mariæ Virginis, & ſecundum Decreta ſacri Generalis Concilii Tridentini toto tempore vitæ meæ. Sic me Deus adjuvet & hæc ſancta Dei Evangelia.

Hìc tangit, & oſculatur librum Evangeliorum &c.

Deinde ſurgit Prælatus, & dicit.

℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.

℟. Et ſalutare tuum da nobis.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere.

INterveniat pro nobis, quæſumus Domine Jeſu Chriſte, nunc, & in hora mortis noſtræ apud tuam clementiam beata

Digitized by Google

beata Virgo Maria Mater tua, cujus ſacratiſſimam animam in hora tuæ paſſionis doloris gladius pertranſivit. Qui vivis, & regnas, &c.

DEus qui nos à ſeculi vanitate converſos ad æternam accendis felicitatem, pectoribus noſtris illabere, & gratiam, qua in te perſeveremus, infunde, ut perfectionis tuæ muniti præſidiis, quod te donante promiſimus, te adjuvante impleamus, & profeſſionis noſtræ executores effecti ad ea quæ perſeverantibus promiſiſti, pervenire valeamus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum &c.

Poterit hic Prælatus habere brevem ſermonem ad noviter profeſſum de perſeverantia in bonis operibus &c.

De ſupradicta autem Profeſſione, ac juramento fiet inſtrumentum à publico Notario, & notabitur in libris publicis Conventus ad perpetuam rei memoriam.

Si vero profitens fuerit litterarum ignarus, alius pro eo leget profeſſionem fidei, profeſſionem autem in Religione leget vulgari idiomate, quam de verbo ad verbum replicabit qui profitetur, & in fine jurabit ſuper ſancta Dei Evangelia &c.

Poſtremo Profeſſus oſculato Prælati habitu ſurgit, & recipitur ab omnibus Fratribus ad pacis amplexum.

Advertendum in ſupradicta profeſſione facienda in Religione, quod quando dicitur Ego Fr. N. *exprimitur nomen in Religione habitum:* Filius N. *exprimitur nomen Patris cum cognomine, ſi autem non ſit vivus, additur ante nomen particula* Quondam. In ſeculo vocatus N. *exprimitur nomen Baptiſmatis, quem ſi in Religione non mutaverit, addatur particula* Similiter vocatus N. *Ad illas particulas* Qui detuli habitum Novitiorum per annum integrum nihil addatur, vel mutetur, *quamvis per plures annos habitum detulerit.* Jam natus Annum N. *exprimitur numerus annorum ætatis completorum. Denique ſi profeſſionem emittat in manu Provincialis, ubi dicitur* Priori Conventuali, *dicatur* Priori Provinciali, nomine, & vice &c. *Si vero profiteatur in manu Generalis dicat.* Et tibi Reverendiſſimo Patri Generali Ordinis Servorum, & ſucceſſoribus tuis ſervare &c.

Digitized by Google

RITUS
Emittendi profeſſionem à Sororibus Tertiariis noſtri Ordinis.

Completo Novitiatus Anno, vel circiter, prout R. P. Correctori videbitur, Novitia genuflexa ante Altare Societatis coram P. Correctore ex parte cornu Evangelii ſedente, ac humiliter profiteri poſtulante, P. Corrector ſurgit, & verſus ad Altare dicit.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum, & terram.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Actiones noſtras quæſumus Domine aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra oratio, & operatio à te ſemper incipiat, & per te cæpta finiatur.

Domine Jeſu Chriſte dux, ſalus, & fortitudo noſtra humiliter petimus, ut famulam tuam, quam ſanctæ compunctionis ardore ab hujus ſeculi vanitate ſeparaſti, etiam à converſatione terrena diſcernas, & gratiam, qua in te perſeveret, infunde: ut protectionis tuæ præſidio munita, quod te donante affectat, te adjutore compleat. Qui vivis, & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

Deinde Novitia accedit genuflexa ad P. Correctorem, & per ſe ipſam, vel per alium eadem legere ignorante, in hunc modum profiteatur.

Ad honore, e gloria della ſantiſſima Trinità, Padre, Figlio, e Spiritoſanto, della beatiſſima ſempre Vergine Maria, di S. Filippo Benizi, e di tutti i Santi del Paradiſo, Io Sor N. alla preſenza della Paternità voſtra molto Reverenda in vece del P. Reverendiſſimo Generale dell'Ordine de'Servi della beata Vergine, prometto di voler per l'avvenire vivere ſecondo la Regola delle Sorelle Terziarie del detto Ordine, e queſto ſino alla morte.

Quibus dictis P. Corrector verſus ad Altare dicit.

℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc, & uſque in ſeculum.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Ore-

Digitized by Google

Oremus.

RЕſpice quæſumus Domine ſuper hanc famulam tuam N. quæ hodie pro tui nominis honore, ſeculo, & omnibus pompis, & vanitatibus ejus per noſtræ ſervitutis miniſterium voto renunciavit, & eam Spiritus Sancti gratia perfunde, ut peccatis omnibus abſoluta, & in ea confirmata, promiſſa ſemper impleat, & ad vitam æternam perveniat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Deinde intonatur Hymnus Te Deum, *quo finito P. Corrector verſus ad Altare dicit.*

℣. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.
℟. A templo ſancto tuo quod eſt in Jeruſalem.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

SAncte Spiritus, qui te Deum, ac Dominum mortalibus revelare dignatus es, immenſam tuæ pietatis abundantiam ſuppliciter exoramus; ut ſicut, ubi vis ſpiras, ſic & huic famulæ tuæ ſorori noſtræ N. affectum piæ devotionis inſpires: & quæ tua ſapientia eſt condita, tua quoque providentia gubernetur, quam etiam unctio tua de omnibus doceat, & fac eam à ſeculi vanitate ita veraciter converti, ut quod hodie te inſpirante inchoat, ſic juſtè, piè, ac ſanctè per veram humilitatem ac obedientiam fraterna charitate fundata te adjuvante perficiat: ut in ſancto propoſito jugiter perſeverans ad vitam perveniat ſempiternam.

COncede nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis ſanitate gaudere: & glorioſæ beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſione à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia.

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris, quas in beati Patris noſtri Philippi Confeſſoris tui commemoratione deferimus; ut qui noſtræ juſtitiæ fiduciam non habemus, ejus qui tibi placuit precibus adjuvemur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Tandem ad ipſam poterit habere brevem ſermonem circa vitæ religioſæ profectum, & perſeverantiam in bonis operibus, eamque aqua benedicta aſpergendo benedicat, ac dimittat.

De

Digitized by Google

De Obitu, & Depoſitione Fratrum Defunctorum.

Cum primum aliquis Frater e vita migraverit, ſignum dabitur campanarum pulſatione juxta locorum conſuetudinem, ac temporum congruentiam.

Cadaver de more lavatum ſuis veſtibus induatur, nudatis tamen pedibus, & ſuper nudo feretro collocetur, ac duo lateres capiti ſupponantur, corona ad manus obvoluta, & Crucifixo inter manus & pectus collocato & ſi fuerit Sacerdos collo ejus ſtola violacea ponatur.

Si verò fuerit Magiſter in Theologia, ultra prædicta habebit biretum in capite ſuper caputium, & libros undequaque circa feretrum.

Convocatis deinde Fratribus omnibus defertur in Eccleſiam, vel in Capitulum, ſi fuerit poſt meridiem, collocandum privatim mane ſequenti in Eccleſia. Toto autem tempore, quo Cadaver manſerit in Capitulo, vel Eccleſia, uſque ad exequias duo ſaltem Fratres circa illud aſſiſtant preces pro illius anima recitando. Feretrum verò collocabitur vel in plano Eccleſiæ, vel ſupra tumulum nigro panno coopertum ſecundum loci conſuetudinem, vel defuncti qualitatem.

Hora exequiarum cantetur in choro Officium Defunctorum & poſtea Miſſa ſolemnis; ſine qua ſepeliendum non eſt cadaver.

Deinde, ſi congruum tempus fuerit, fiant exequiæ, prout notatur in Rituali Romano de exequiis defunctorum. In orationibus tamen Officii, Miſſæ, & exequiarum addatur famuli tui N. Fratris noſtri &c.

Cadaver Generalis, ultra prædicta collocetur in Eccleſia ſuper altiori, ac decentiori tumulo cum pulvino ſub capite, & ad exequias advocentur ſex Religioſi ex ſingulis ordinibus mendicantibus. Accendantur circa tumulum 24. intorcitia, & oratio funebris habeatur poſt Miſſam, & ante abſolutionem exequiarum; ac Miſſa cantabitur ab aliquo Superiore.

Si verò fuerit Procurator Generalis, vel Provincialis, ultra ea quæ dicta ſunt de Magiſtris, feretrum, licet nudum, collocetur ſuper tumulo decentiori, accendantur 12. ſaltem intorcitia circa tumulum, invitentur ad exequias quatuor Religioſi ex quoli-

Digitized by Google

quolibet ordine mendicantium, & cantet Miſſam Prior Conventualis.

Circa denique exequias Prioris Conventualis, vel alicujus ex Patribus benemeritis ſervetur aliqua proportionalis diſtinctio, prout melius judicabitur, & cantabit Miſſam aliquis ex dignioribus Patribus. In oratione autem explicetur nomen, & dignitas defuncti, dicendo famuli tui N. Generalis noſtri &c. *& dies mortis, ac funus notetur in libris memorabilium Conventus.*

ABSOLUTIONES DIVERSÆ.

Forma Abſolutionis generalis quæ Regularibus datur in diebus ſolemnioribus anni.

Facta Confeſſione à Fratribus genuflexis coram Prælato ſtola violacei coloris induto, idem Prælatus ſtans dicit.

MIſereatur veſtri omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis veſtris perducat vos ad vitam æternam. ℟. Amen.

INdulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum veſtrorum tribuat vobis omnipotens, & miſericors Dominus. ℟. Amen.

SI tenemini aliquo vinculo, vel aliquibus vinculis excommunicationis, ſuſpenſionis, et interdicti, in quantum ſe extendunt gratiæ, et privilegia ordini noſtro indulta, auctoritate mihi commiſſa, et vobis conceſſa, ego abſolvo vos, et reſtituo vos ſacroſanctis Sacramentis Eccleſiæ, communioni, et vnitati fidelium. In nomine Patris, ✠ et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Item eadem auctoritate diſpenſo vobiſcum ſuper omni irregularitate, ſi quam contraxiſtis, et rehabilito vos executioni Ordinum, et Officiorum veſtrorum. Item remitto vobis pœnas quaſcumque vobis debitas propter tranſgreſſiones Regulæ, et Conſtitutionum noſtrarum. In nomine Patris ✠, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Deinde Prælatus imponit aliquam pœnitentiam ſalutarem, & poſtea dat facultatem ipſis Religioſis, ut poſſint à Confeſſoribus Ordinis approbatis, pro una vice eligendis, ab omnibus caſibus ſibi reſervatis abſolvi.

Forma

Digitized by Google

Forma Abſolutionis, quæ datur in Capitulis Generali, Provinciali, ſeu etiam Conventuali.

Stante Superiore, cæteri genuflexi faciant Confeſſionem, deinde Superior dicat Miſereatur &c. Indulgentiam &c., *poſtea faciat ſequentem abſolutionem, explicando, ubi ponitur littera* N. *Capitulum, quod ſit, nempe* Generali, *vel* Provinciali, *ſeu* Conventuali.

AUctoritate Dei omnipotentis mihi, licet indigno per Sedem Apoſtolicam virtute privilegiorum mendicantium, vel alio quovis titulo conceſſa, vos omnes congregatos, et nobiſcum congregandos durante hoc Capitulo N. ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, et interdicti, et à quibuſvis aliis ſententiis, cenſuris, ac pœnis abſolvo, et cum iiſdem ſuper quavis irregularitate, et impedimento diſpenſo, quatenus vos, et illi indigetis, ad hoc tantum, ut omnia, quæ in hoc Capitulo peragentur rata et firma ſint. In nomine Patris, et ✠ Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Generalis, ſeu alius ſuperior, antequam alios abſolvat præfato modo, ſi ipſi videbitur, poterit à digniori exiſtente in illo Capitulo, publicè, & eodem modo abſolvi.

Forma Abſolutionis dandæ à Superiore, vel alio Sacerdote de ejus commiſſione Fratribus noſtri Ordinis in articulo mortis exiſtentibus.

Facta Confeſſione ab infirmo, vel ab alio ex circumſtantibus ejus nomine, ſi ipſe non poſſit, Superior, dicto prius Miſereatur &c. Indulgentiam &c. *ut ſupra ſequenti modo abſolvat.*

DOminus noſter Jeſus Chriſtus per merita ſuæ ſacratiſſimæ paſſionis te abſolvat, et gratiam ſuam tibi infundat: et ego auctoritate ipſius, et beatorum Apoſtolorum Petri, et Pauli, ac Summorum Pontificum mihi in hac parte commiſſa, ac tibi conceſſa, virtute privilegiorum noſtri ſacri Ordi-

Digitized by Google

Ordinis Servorum beatæ Mariæ Virginis, abſolvo te ab omni vinculo excommunicationis majoris vel minoris, & ab omni ſententia ſuſpenſionis, ac interdicti, et reſtituo te ſacroſanctis Sacramentis Eccleſiæ, communioni, ac unitati fidelium. Eadem auctoritate ego abſolvo te ab omni tranſgreſſione votorum noſtri Ordinis, et ſtatutorum quorumcumque: ab omni Officio Divino malè perſoluto, horis indebitè tranſpoſitis, vel omiſſis: ab omni pœnitentia neglecta, vel oblita, et ab omnibus peccatis tuis, quibus contra Deum fragilitate humana, ignorantia, vel malitia deliquiſti, concedens tibi remiſſionem, et indulgentiam plenariam omnium peccatorum tuorum confeſſorum, et cunctorum etiam, de quibus non recordaris, in quantum Claves Eccleſiæ ſe extendunt. Eadem etiam auctoritate abſolvo te à pœnis Purgatorii, quas pro peccatis commiſſis, ac delictis in hoc mundo perpetratis meruiſti, reſtituendo te illi ſtatui innocentiæ, in quo eras, quando baptizatus fuiſti. In nomine Patris ✠, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

QUod ſi hac vice non deceſſeris, reſervo tibi hanc gratiam uſque ad mortis tuæ articulum. Et injungo tibi in pœnitentiam omnium peccatorum tuorum quidquid boni feceris, vel mali ſuſtinueris propter Deum, et ſpecialiter jugum obedientiæ, Regularis obſervantiæ diſciplinam, et hujus infirmitatis labores ac preſſuras. In particulari autem injungo tibi, ut invoces ore, vel ſaltem corde ſanctiſſimum nomen Jeſu, ut Indulgentiam plenariam nunc tibi conceſſam conſequi valeas.

Si fuerit Laicus, omittitur dictio illa ſuſpenſionis.

Forma Abſolutionis dandæ Confratribus Societatis Septem Dolorum beatæ Mariæ Virginis in articulo mortis conſtitutis.

Pater Corrector, facta prius Confeſſione ab infirmo &c. dicat.
Miſereatur tui etc. Indulgentiam etc. *poſtea.*

DOminus noſter Jeſus Chriſtus filius Dei vivi, qui beato Petro Apoſtolo ſuo dedit poteſtatem ligandi, atque ſol-

ſolvendi, per ſuam piiſſimam miſericordiam te abſolvat ✠, recipiatque Confeſſionem tuam, et remittat tibi omnia peccata quæcumque, ac quomodocumque in toto vitæ decurſu commiſiſti, de quibus corde contritus, et ore confeſſus es, reſtituens tibi ſtolam primam quam in Baptiſmate recepiſti; Et per Indulgentiam plenariam à Summo Pontifice Paulo V. Confratribus Societatis Septem Dolorum beatæ Mariæ Virginis in articulo mortis conſtitutis conceſſam, liberet te à præſentis, ac futuræ vitæ pœnis: dignetur Purgatorii cruciatus remittere, portas inferni claudere, paradiſi januam aperire, teque ad gaudia ſempiterna perducere, qui cum Patre & Spiritu Sancto Deus unus vivit, & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

Quod ſi nunc non deceſſeris, reſervo tibi hanc gratiam pro alia vice.

Forma Abſolutionis, quando datur Indulgentia plenaria.

Confiteor &c. Miſereatur &c. Indulgentiam &c.

EGo auctoritate Dei omnipotentis, & Sanctorum Apoſtolorum ejus Petri & Pauli, ac Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ N. tibi conceſſa, & mihi commiſſa abſolvo te ab omni vinculo excommunicationis majoris, vel minoris, & ab omni ſententia ſuſpenſionis, & interdicti, ſi quam incurriſti, & reſtituo te unitati fidelium, & ſanctis Sacramentis Eccleſiæ. Item eadem auctoritate abſolvo te ab omnibus peccatis tuis cum plenaria Indulgentia, & remiſſione omnium peccatorum tuorum. In nomine Patris, & ✠ Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Si vero fuerit laicus omittitur dictio ſuſpenſionis.

Reliquæ Abſolutiones, rehabilitationes, vel reintegrationes, quæ deſiderari poſſunt, videantur in Rituali Romano, vel in Circulo aureo.

FINIS.

Digitized by Google

INDULGENTIÆ
Religioſis Regularibus conceſſæ à fel. record. Paulo V. per Bullam, quæ incipit *Romanus Pontifex*, datam die 23. Maji 1606. quævè habetur in Bullario Romæ impreſſo pag. 202. tomo 3.

I. OMnibus igitur Chriſti fidelibus, qui canonicè, & juxta ordines cujuslibet Religionis, & Conſtitutiones Apoſtolicas habitum regularem à legitimis Superioribus, cauſa profitendi in illo ſuſceperint, die primo eorum ingreſſus in ipſam Religionem, ſi verè pœnitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, Plenariam.

II. Ac cuilibet Novitio, qui pœnitens, & confeſſus, ac ſacra Communione refectus poſt completum probationis annum profeſſionem emiſerit, etiam Plenariam.

III. Necnon cuilibet Religioſo intra Clauſtra ſui Monaſterii viventi, qui in Feſto principali ſui Ordinis confeſſus, & ſacra Communione refectus fuerit, aut Miſſam recitans pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderit, etiam Plenariam.

IV. In cujuslibet verò mortis articulo, ſi pariter verè pœnitens, & confeſſus, ac ſacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, ſaltem contritus nomen Jeſu ore, ſi potęrit, ſin autem corde devotè invocaverit, etiam Plenariam.

V. Qui verò ad Presbyteratus Ordinem canonicè promotus, & confeſſus primam Miſſam celebrabit: necnon etiam iis Religioſis, qui pariter confeſſi, & ſacra Communione refecti eidem Miſſæ interfuerint, aut ipſo die Miſſam ſimiliter celebrabunt, etiam Plenariam.

VI. Iis verò, qui de ſuorum Superiorum licentia à negotiis per decem dies alieni in Cella commorabuntur, aut ab aliorum converſatione ſeparati in piorum librorum, & alia-

Digitized by Google

rum rerum ſpiritualium animos ad devotionem, & ſpiritum inducentium lectionibus operam ſuam dederint, addendo ſæpe conſiderationes, & meditationes myſteriorum Fidei Catholicæ, divinorum beneficiorum, quatuor Noviſſimorum, Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & aliorum exercitiorum, orationum jaculatoriarum, aut vocalium, ſaltem per duas horas in diem, & noctem orationibus mentalibus ſeſe exercendo, faciendo eodem tempore confeſſionem generalem, aut annualem, vel ordinariam, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, aut Miſſam celebraverint, quoties pro quolibet prædictorum exercitiorum, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus.

VII. Præterea iidem Religioſi intra Clauſtra viventes, qui ſuam Eccleſiam devotè viſitaverint, & ut præfertur, oraverint, conſequantur eaſdem Indulgentias, quas viſitantes Eccleſias Urbis, & extra eam diebus Stationum conſequuntur, in omnibus diebus, perindè ac ſi ipſas Urbis Eccleſias perſonaliter viſitarent.

VIII. Omnibus item Religioſis intra Clauſtra, ut ſupra, viventibus, qui quinquies Orationem Dominicam dixerint, & toties Salutationem Angelicam ante Altare eorum Eccleſiæ in quolibet die, quinque annos, & totidem quadragenas.

IX. Iis verò, qui de ſuorum Superiorum licentia in itinere exiſtentes, aut extra Clauſtra degentes tanquam Prædicatores, & Lectores, quinquies eamdem Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ante quodlibet Altare ſimiliter dixerint, etiam quinque annos, & totidem quadragenas.

X. Necnon etiam eiſdem Religioſis, qui per menſem integrum ſingulis diebus, ſpatio mediæ horæ orationem mentalem fecerint, ac confeſſi, & ſacra Communione, ultima Dominica menſis hujuſmodi refecti fuerint, ſexaginta annos, & totidem quadragenas.

~~XI.~~ Qui verò contrito corde, et pœnitentes eorum culpas, et peccata, ac imperfectiones in Capitulis Culparum accuſabunt, et ſpiritualiter communicabunt, et exercitium virtutum facient, tres annos, et totidem quadragenas.

XII. Quotieſcumque autem de licentia Summi Pontificis,

ficis, aut ſuorum Superiorum in ditiones, et terras Infidelium, aut Hæreticorum ad concionandum, aut Catholicos docendum, vel Infideles, et Hæreticos ipſos ad Fidem Catholicam convertendum, et Eccleſiæ gremio reducendum miſſi fuerint, ſi pœnitentes, et confeſſi, ac Sanctiſſima Communione refecti fuerint, vel Miſſam celebraverint, ut melius ad hujusmodi opus ſeſe parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet quando itineri ſe accingent, et quando in Provinciam, ubi prædicta opera exercenda erunt, ingreſſi fuerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, et remiſsionem miſericorditer in Domino pariter concedimus, et elargimur.

XIII. Et inſuper cum Superior in Viſitationibus generalibus Orationes quadraginta horarum pro bono Viſitationis progreſſu collocare voluerit, iis Religioſis, qui dictis orationibus ſaltem ſpatio duarum horarum in diverſo tempore interfuerint, et ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, necnon diſciplinæ, et obſervantiæ regularis augmento pias ad Deum preces, ut ſupra dictum eſt, effuderint, ſi confeſsi, et Sacra Communione refecti fuerint, aut Miſſam celebraverint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum Indulgentiam, et remiſſionem, ut præfertur, concedimus.

XIV. Volumus autem, ut omnes ſupradictæ Indulgentiæ, et gratiæ Religioſis Regularibus cujusvis Ordinis tam Monaſtici, quàm Mendicantis, dumtaxat, ut præfertur, conceſſæ, etiam omnibus Monialibus cujusvis Regulæ approbatæ, et intra Clauſtra cum tribus votis ſolemnibus viventibus, et perpetuam clauſuram ſervantibus, tam Ordinariis locorum, quàm etiam Regularibus cujuscumque Ordinis, Regulæ, et Inſtituti ſubjectis, ſuffragentur. Præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Adnotatio in paragraphum octavum.

* *Non eſt autem neceſſe genufleǝtere ſuper bradellam Altaris, ſufficit ſtando in Choro dirigere ſuam orationem ad Altare, vel*

 etiam

etiam ſimpliciter in Eccleſia orare ; neque differentia eſt inter unum, aut alterum Altare, licet ſit majus : neque hæc oratio applicanda eſt pro aliquo in ſpecie, ſed ſatis eſt pro ſe dicere. Ita Bordonus Tomo ſecundo, Reſolutione octuageſimaprima, Quæſtione ſecuuda, Numero decimoſeptimo, Verſu octavo.

KALENDARIUM OFFICIORUM
Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis.

JANUARIUS.

23 *Desponsatio. B. Mariæ Virg. cum S. Joseph Dupl. Pag. 1.*
SS. Corporis Christi Fer. 5. Semid. 81.
Septem Dolorum B. M. V. Fer. 6. Semid. 120.
S. Mariæ in Sabbato Semid. 168.

FEBRUARIUS.

2 *Purificatio. B. M. V. Dupl. 2. Cl. cum Octava.* 7.
3 *De 2. die infr. Octav. com. S. Blaſii Epiſc. & Mart.* 10.
6 *De 5. die infr. Octav.* 12.
8 *De 7. die infr. Octav.* 15.
9 *Octav. Purif. B. M. V. Dupl. com. S. Apolloniæ Virg. & M.* 16.
SS. Corporis Christi Fer. 5. Semid. 81. }
Septem Dolorum B. M. V. Fer. 6. Semid. 120. } *extra Quadrag.*
S. Mariæ in Sabbato Semid. 168. }

MARTIUS.

25 *Annunciatio. B. M. V. Dup. 2. Cl. cum Octav. extra tempus Quadrageſimæ, & ut dicitur ſuo loco.* 19.
Fer. VI. Dominicæ Paſſ. Officium de Septem Doloribus ubi celebr.
SS. Corporis Christi Fer. 5. Semid. 81. }
Septem Dolorum B. M. V. Fer. 6. Semid. 120. } *extra Quadrag.*
S. Mariæ in Sabbato Semid. 168. }

APRILIS.

16 *Joachimi Confeſſ. Ordinis noſtri. Dupl.* 19.
29 *Petri Mart. Ord. Præd. olim Dupl. nobis. nunc pro tota Eccl.* 25.
30 *Peregrini Confeſſ. Ord. noſt. Dupl.* 25.
SS. Corporis Christi Fer. 5. Semid. 81. }
Septem Dolorum B. M. V. Fer. 6. Semid. 120. } *extra Quadrag.*
S. Mariæ in Sabbato Semid. 168. }

MAJUS.

4 *Monicæ Viduæ Matris S. Auguſtini. Dupl.* 30.
SS. Corporis Christi Fer. 5. Semid. 81. }
Septem Dolorum B. M. V. Fer. 6. Semid. 120. } *extra Quat. Temp. & Vigil.*
S. Mariæ in Sabb. Semid. 168. }

JUNIUS.

19 *Iulianæ Falconeriæ Virg. Ord. N. Sem. com. SS. Gerv. &c. MM.* 30.
SS. Corporis Christi Fer. 5. Semid. 81. }
Septem Dolorum B. M. V. Fer. 6. Semid. 120. } *extra Quat. Temp. & Vigilias.*
S. Mariæ in Sabbato. Semid. 168. }

JULIUS.

2 *Viſitatio. B. M. V. Dupl. 2. Cl. cum Octava.* 30.
7 *De 6. die infr. Octav.* 31.

6 *Octa-*

Digitized by Google

6 *Octav. Viſitat. B.M.V. Dupl.* 34.

SS. Corporis Chriſti Fer. 5. *Semid.* 81. } *extra Vigilias.*
Septem Dolorum B.M.V. Fer. 6. *Semid.* 120. }
S. Mariæ in Sabbato Semid. 168. }

AUGUSTUS.

23 *Philippi Conf. O.N. Propag. Dupl.* 2. *Cl. cum Octav.* 37.
24 *vel* 26. *De* 2. *vel* 4. *die inf. Oct. com. S. Zephyrini Ep. & M.* 49.
27 *De* 6. *die infr. Octav.* 49.
28 *Auguſtini Epiſc. Conf. & Eccl. Doct. Legiſlatoris noſtri. Dupl.* 2. *Cl. cum Octava.* 52.
30 *Octav. S. Philippi. Dup. com. Oct. S. Auguſt. & SS. Felic. &c. MM.* 53.
31 *De* 4. *die infra Octav. S. Auguſtini.* 57.

SS. Corporis Chriſti Fer. V. Semid. 81. } *extra Vigilias.*
Septem Dolorum B.M.V. Fer. 6. *Semid.* 120. }
S. Mariæ in Sabbato. Semid. 168. }

SEPTEMBER.

1 *De* 5. *die infr. Octav.* 57.
3 *De* 7. *die infr. Octav.* 60.
4 *Octava S. Auguſtini. Dupl.* 62.
Dominica Tertia, Solemnitas Septem Dolorum B.M.V. Dupl. 2. *Cl. cum Octava.* 65.
22 *Tranſlatio Tertia S. Philippi Conf. O.N. Propag. Semid.* 65.

SS. Corporis Chriſti Fer. 5. *Semid.* 81. } *extra Quat. Temp. & Vigilias.*
Septem Dolorum B.M.V. Fer. 6. *Semid.* 120. }
S. Mariæ in Sabbato. Semid. 168. }

OCTOBER.

SS. Corporis Chriſti Fer. 5. *Semid.* 81. } *extra Vigilias.*
Septem Dolorum B.M.V. Fer. 6. *Semid.* 120. }
S. Mariæ in Sabbato Semid. 168. }

NOVEMBER.

21 *Præſentatio. B.M.V. Dupl.* 2. *Cl. cum Octava.* 68.
24 *De* 4. *die infr. Octav. com. S. Chryſogoni Mart.* 68.
26 *De* 6. *die infr. Octav. com. S. Petri Alexandrini Ep. & Mar.* 71.
27 *De* 7. *die infr. Octav.* 74.
28 *Octav. Præſentationis B. M.V. Dupl.* 77.

SS. Corporis Chriſti Fer. 5. *Semid.* 81. } *extra Vigilias.*
Septem Dolorum B.M.V. Fer. 6. *Semid.* 120. }
S. Mariæ in Sabbato. Semid. 168. }

DECEMBER.

8 *Conceptio B.M.V. olim nobis Dupl.* 2. *Cl. cum Octava, nunc pro tota Eccleſia.* 80.

Septem Dolorum B. M. V. Fer. 6. *ante Adventum. Semid.* 120.
S. Mariæ in Sabbato, ante Adventum. Semid. 168.

S. Philippi singulis mensibus, Semid. 207.
Suffragia Sanctorum. 209.

Digitized by Google

INDEX

Eorum, quæ præter Divina Officia in hoc Libello continentur.

Litanie B.M.V. pag. 214.

Vigilia B. M.V. pag. 211.
Corona B. M.V. 215.
Ritus coronandi imaginem B.M.V. in ſero Sabbati Sancti. 218.
Ordo faciendi aquam benedictam in honorem Beati Philippi, ante primas Veſperas feſti. 219.
Ritus benedicendi Panem S. Philippi in ejus feſto. 220.
Ritus utendi Pane S. Philippi Benitii. 223.
Ritus orandi, & imponendi Reliquias S. Philippi Benitii ſuper Infantes. 223.
Idem Ritus pro Infirmis adultis. 225.
De Capitulo Generali. 227.
De Capitulo Provinciali. 233.
De Capitulo Conventuali. 234.
Ritus dicendi ſuas culpas Feria Sexta. 235.
Ritus benedicendi Menſam. 236.
Ritus recipiendi Generalem in primo ſuo acceſſu ad aliquem Conventum. 237.
Ritus induendi Ordinis noſtri Novitios. 239.
Ritus imponendi Habitum noſtrum Sororibus Tertiariis. 240.
Ritus imponendi Habitum noſtrum Secularibus. 244.
Ritus emittendi Profeſſionem à Novitiis noſtri Ordinis. 246.
Ritus emittendi Profeſſionem à Sororibus Tertiariis noſtri Ordinis. 250.
De Obitu, & Depoſitione Fratrum Defunctorum. 252.
Abſolutiones diverſæ. 253.
Indulgentiæ Religioſis Regularibus conceſſæ. 257.

Digitized by Google

Oratio

Post Litanias B. M. V. dicenda. Pag. 215.

Pietate tua, quæsumus Domine, nostrorum solve vincula peccatorum, et intercedente beata Dei genitrice Maria, cum beato Philippo confessore tuo patre nostro, et omnibus sanctis, N. Pontificem maximum, N. Protectorem nostrum, N. Generalem nostrum, Nos famulos tuos, benefactores nostros, atque Loca nostra in omni sanctitate custodi, omnesque consanguinitate, affinitate, ac familiaritate nobis coniunctos à vitiis purga, virtutibus illustra, pacem et salutem nobis tribue, hostes visibiles et invisibiles remove, carnalia desideria repelle, aerem salubrem et fertilitatem indulge, amicis et inimicis nostris charitatem largire, atque civitatem istam cum omnibus habitantibus in ea, ab omni peste, fame, et bello illesam conserva, et omnibus fidelibus defunctis requiem æternam concede. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Digitized by Google

005676918

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google